

Epistolae medicae. De variolis, apoplexia, hydrope, colica saturnina, morbo nigro, scirris viscerum, cephalea, inoculatione, irritabilite, cum cadaverum sectionibus / [S.A.D. Tissot].

Contributors

Tissot, S. A. D. (Samuel Auguste David), 1728-1797

Publication/Creation

Venetis : Carboli & Pompeati Soc, 1770.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bzyacggj>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>




51586/B Tis

A. XXI Tis

EPISTOLA MEDICAE

PARTI

ADDITIONALI



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30498478>

EPISTOLÆ MEDICÆ

V A R I I

ARGUMENTI.

EPISTOLAE MEDICAE
VARIAE
ARGUMENTI.

S. A. D.

TISSOT

*P. P. M. Soc. Reg. Lond. Accad.
Physic. Med. Basil. Soc. Æcon.
Bern. S. &c. &c.*

EPISTOLÆ MEDICÆ

| | | |
|---|--|-------------------------|
| De Variolis, | | Scirris Viscerum, |
| <i>52/.</i> Apoplexia, ^{711.} Hydrope, | | Cephalea, Inoculatione, |
| Colica Saturnina, | | Irritabilitate, cum |
| Morbo Nigro, | | Cadaverum Sectionibus. |

EDITIO PRIMA VENETA.

VENETIIS,
Typis CAROBOLI ; & POMPEATI SOC.
MDCCLXX.

~~~~~  
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

*D. Luigi Langrande*





T I S S O T

Ed. 2. 18. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

ERISTOIA MEDICA

|                         |     |                        |
|-------------------------|-----|------------------------|
| De Variolis             | 177 | Scitis Visceribus      |
| De Anaphylaxia, Hydrops |     | Cephalis, Inoculatione |
| De Colica Serpentina    |     | Incurabile, Cui        |
| De Morbo Nigro          |     | Cadaverum Sectionibus  |

EDITIO TERTIA REVISITA

V. B. N. E. T. I. S. S. O. T.  
Typis CAROLIS & BONIFATI SOC.  
MDCCCLXX.

SUPERIORI & P. B. N. S. O. T. NO. TRIPICEIO.



## JO: PETRUS PEREGRINUS

P. P. A N A T.

B. L. S.

**C**larissimi Viri Tissot amicissimi nostri elucubratissimam dissertationem de Litteratorum Sanitate tuenda præterlapso jam anno ex gallico in italicum idioma conversam Venetis typis mandari curavimus. Superioribus similiter annis opus omnibus numeris absolutum, ac pene divinum, videlicet *Monita ad Populum &c.* Italia nostræ lubenti animo exhibuimus. Medico egregio omnes mortales multum debere fatentur. Quamplurima enim in majestate Naturæ latentia, a Medicorum turba ignorata, ad vitæ tutelam pernecessaria, primus ostendit laudatissimus Auctor, vel quod eximium equidem est, ex refutata futili, fallacique medela, ad utiliorem, simpliciorumque medendi methodum Clinicam artem revocavit, adeo ut vel imperitio-

res



*res nunc melius consulti cunctatius tutiusque infelici humano generi mederi possint.*

*Quæ nunc prodeunt in lucem Opuscula Medica varii argumenti, Tisoti sunt, non indigent ergo nostris laudibus, neque præconiis. Nata enim sunt ex studiosa lectione, observatione aspera, indefessa exercitatione.*

*Deus immortalis diu tantum Virum sospitem atque incolumem Rei Medicæ, Civibus suis, mibique servet, ut nova iterum fecundissimi illius ingenii specimina ac præcipue nobis promissa de Spasmodicis Nervorum affectionibus delibare possimus.*

*Vale igitur B. L. tuique boni fautores diligit.*

## I N D E X

## Argumentorum .

|                        |         |
|------------------------|---------|
| <b>D</b> E Variolis .  | pag. 1. |
| De Apoplexia .         | pag. 54 |
| De Hydropse .          | 111     |
| De Colica Saturnina .  | 151     |
| De Morbo Nigro .       | 163     |
| De Scirrhis Viscerum . | 179     |
| De Cephalea .          | 185     |
| De Inoculatione .      | 190     |
| De Irritabilitate .    | 200     |



## NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

**A** Vendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. *Filippo Rosa Lanzi*, Inquisitor Generale del Santo Officio di *Venezia*, nel Libro intitolato: *De Variolis, Appoplexia, & Hydrope, nec non de Morbo nigro Scirris Viscerum &c. del Sig. Tissot M. S.*, non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi concediamo Licenza a *Carobole, e Pompeati Stampatori di Venezia*, che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 12. Agosto 1769.

( Angelo Contarini Proc. Rif.

(

( Francesco Morosini 20. Kay. Proc. Rif.

Registr. in Lib. a Carte 13 al Num. 90

*Davidde Marchesini Segr.*

VIRO





V I R O

ILLUSTRIS. NOBILIS.

ALBERTO L. B.  
HALLERO.

**H**istoriam medicinæ pulchre do-  
ctus non nescis, optime *Hallere*,  
qui primum variolas observa-  
runt *Arabes*, veram illas sanan-  
di methodum tradidisse.

Monuerunt morbum esse e calidorum genere;  
& hanc adhibuerunt curationem quæ inflamma-  
tionem nimiam impediret: largas nimirum ve-  
næ sectiones, refrigerantia, acida, enemata,  
tenuissimam diætam; dum simul cutim, molli  
vapore, sic parabant, ut veneno facilem exi-  
tum præberet. Opio languentes erigebant vi-  
res, fusioresque compescebant alvum.

A tempore *Albucaſis*, ultimi fere *Arabum*,

A

qui



qui vertente undecimo sæculo vixit , ad finem  
decimi quinti , *Barbaro latini* medici medicinarum  
plus deturparunt quam mutarunt . Ineunte sæ-  
culo sexdecimo , *Paracelsus* vir majorum con-  
temptor , remediorum chemicorum & opii ul-  
tra modum laudator , hanc constituit sectam  
quæ in acutis exantematicis præsertim morbis  
virus cute expellere satagens , venæ sectiones  
refrigerantia , enemata , evacuationes omnes , ex-  
cepto sudore , horruit . Adeo hæc invaluit me-  
thodus , præsertim in variolis , ut paucos , a  
*Paracelso* , medicos invenias , qui hac labe pla-  
ne caruerint . At per duo sæcula , calidissima  
diaphoretica , theriacalia , bezoardica , narcoti-  
ca , variolosum virus acuendo orbem terrarum  
vastarunt . *Sed hæc* , ut tu eleganter , *æterno si-*  
*lento premere medici interest* , *ne salutare no-*  
*men mortalibus invisum fiat* .

Primus *Sidenhamius* , elata voce , horrendam  
vituperavit praxim , & antiphlogisticam metho-  
dum restituit .

Illius vestigia legens *Boerhaavius* , hanc , qua  
pollebat mascula oratione , commendavit , inde ,  
omnibus summi viri discipulis dilecta , ab iisque  
promulgata , & nullibi jamjam ignota , pluribus  
quotidie prodest ; superestque unice , ut cunctis  
adhibeatur , & , si adsint , rescindantur nævi .

Quo



Quo, caute adeo, utebantur Arabes, Opium, princeps est remedium in *Sidenhamii* methodo; anchora sacra qua in desperatissimis casibus confidit; sedans quo vehementissimas supurationis turbas compescere sperat. De spiritibus acidis, excepto casu malignæ speciei, alte filet. Non videntur alia sentire recentiores. Paululum diversa me docuerunt variolosa praxis, & attenta de morbi natura meditatio. Observationes, & cogitationes, aliaque nonnulla de apoplexia & hydrope, ad te, non cognoscendi sed emendandi causa, transmitto.

Variolas benignas ipse sustinui mense augusti 1743. quindecim natus annos, physicæ studio tunc incumbens, & medicum quondam fieri cupiens. Medicus senex & venerandus utilem diætam ex infusione thee cum lacte, & pomis aut prunis coctis præscripsit; sed theriacam vespera adhibuit. Sæva adeo nox post hoc remedium, ut denuo assumere pulchre negaverim; & inde didici, obliturus numquam, calida remedia nocere in variolis.

Triennio elapso, anno 1746. Monspelii vitam degenti plures observandos variolosos præbuit sæva epidemia; sed tiro observare nescit. Legi tamen opusculum Cl. *La Mettrie*; & capitula in quibus de hoc morbo dixit *Sidenhamius*. Ca-



su in manus inciderat, eodem tempore, Thom-  
soni libellus de opio; quo monitus opium esse  
*calidissimum remedium*, & aliunde doctus the-  
riacam vim suam habere præcipuam ex opio,  
credidi nocivum esse remedium opium in variolis.

Mirabar tamen pulchros successus a *Sidenhamio*  
& *la Mettrie* duكتورibus meis narratos;  
celspitabat mens, & vere dixissem:

*Non nostrum inter vos tantas componere  
lites.*

Metum opii auxit eventus. Plerique Medici,  
Chirurgi, Pharmacopolæ, matres ipsæ, larga  
manu diacodium in urbe propinabant & guttas  
*Sidenhamii*. Aut non, aut raro, adhibebantur  
in magno Xenodochio, quo suscipiuntur pueri  
illi, quos exponi barbarus parens, tolli Respu-  
blica jussit. Dum innumeros in urbe trucidaba-  
bat atrox morbus, paucissimi in nosocomio mor-  
riebantur sub eadem methodo: & dimidiam pla-  
gulam promulgavit nosocomii physicus, in qua  
luculenter observationibus probabat nocere  
opium, De essentia morbi & remedii penitus  
silebat.

Sequentibus annis, plures etiam variolas ob-  
servare contigit; & raro, in gravi morbo  
prodesse diacodium vidi. Redux in patria anno  
1749. priores observationes, novas quarum co-  
piam



piam fecit numerosa sequenti anno epidemia, & optimos de variolis auctores attente meditatus, cum adjungeretur usus frequens, qui omnium magistrorum præcepta superat, opiique effectus sedulo perpendissem & in ægros, & in proprium corpus quod cephalalgicum, anxium, sitibundum semper reddidit, semel dysuriosum; intellexi alienum esse remedium gravibus inflammatoriis variolis, & eo magis quo gravior morbus, acutior febris, propior supuratio.

Proprias observationes lætus paulo post vidi firmatas auctoritate Cel. *Th. Simpsoni*, cujus libellus de *Sidenhamii* methodo, meæ sententiæ de opio omnino congruebat.

Mecum sentire Cl. *Young* anno demum 1758. novi. Eandem fere mentem Ill. *Trallesi* prima pars aurei operis de opio, illo anno lecta, spem fecit, quam confirmavit secunda sero accepta. Quæ jam pridem cogitaveram ea omnia, & alia, docte exposita a venerando illo viro gavissus sum: nec sat exprimere litteris possum, quanta voluptate illius monita, meis observationibus adeo similia ut non magis ovum ovo, legerim.

Sed præter *Simpsonum*, jam, ut audio, beatum, ut quem *Montepessulano* auctori viam monstrasse suadent plura; *Youngium*, senioremem;



modo vivat, medicum, & *Trallesium*; nullum alium medicum novi, qui opii usum in variolis timeat. Non inutile ergo si novum contra testimonium adducam. Sine vero primo, conceptum meum de variolis breviter exarem.

Res est in aprico, spontaneum non esse morbum variolas ex variis erroribus diætetice nascentem, nec quemquam hodie morantur non nullæ contra adductæ observationes. Oriuntur ergo ex veneno sui generis, quo subinde infectur aer, & quod fluidis humanis exceptum, illa sensim inquinat. Labescit sanitas per aliquos dies, usque quo acri stimulo irritata Natura febrem excitet, plerumque inflammatoriam, sed pro conditionibus ægri, tempestatis, regionis variam; & sedandam demum quando venenum & admissum & generatum, ad cutim deponitur; eam fœdans pustulis phlegmonosis, primum minimis, sensim crescentibus, demum fœurantibus. Si totum deponitur, nec silvam generavit pustularum post eruptionem terminatus est morbus, dum sine tumultu adolescunt, maturescunt, exsiccantur pustulæ. Hæc benignissima species morbi.

Si vero tanta fuerit veneni copia, ut numerosa seges pustularum eruperit, tunc ex irritatione



tione cutis, impedita expiratione cutanea, re-  
sorpto pure, nova mox exurgit febris, secun-  
dariam dicunt aut supuratoriam, admodum pe-  
riculosa.

Tertius est casus, Si toti veneno excipiendo  
impar est cutis, aut expellendo impares vires,  
non desinit febris, sed indefinenter, cum gra-  
vissimis exacerbationibus, sævisque symptomati-  
bus pergit, & novæ pustulæ prioribus quotidie  
succrescunt.

Duplex est in morbis venenosis curatio; aut  
venenum suo noto antidoto subigitur, aut sic  
munitur corpus ut mitia tantum erumpant sim-  
ptomata. Primam methodum in variolis clari  
susceperunt viri, at casto huc usque labore.  
Nec adeo forsan dolendum; nam quando sic  
constituuntur corpora nostra ut suscipiendo mor-  
bo obnoxia sint quandiu illum nondum exper-  
ta, extinctio veneni quondam admissi novum  
contagium non impediret, & toto vitæ curri-  
culo cogermur virus admittere, & suo antidoto  
subigere. Secunda ergo superest unice curatio,  
& allaborandum mitigando morbo, quem quis-  
que subire debet. Verum est quidem, morbus  
longe facilius subigeretur ex noto antidoto.

Nota phlogistica morbi indoles optimam offen-  
dit methodum, cujus utilitatem confirmavit usus.



Sed inflammatoria & vera morbi facies aliâ quoties mutatur adventitiis aeris qualitatibus, & variis seminis morboſis quæ in ægro latent. Ex hoc duplici fonte manarunt ſpecies illæ variolarum, obſervatoribus delineatæ & remediis ſanandæ ciftæ refrigeranti alienis. Nam ut omnes aliæ cauſſæ morbificæ varie pro variis *receptivitatibus* conditionibus agunt, ſic virus varioloſum. *Variolæ ſequuntur conſtitutionem corporis, quamquam temporis conditio vires neſcio quas addit.* Modo ad opii vires in variolis deſcendo.

I. Opium eſt e genere calidiſſimorum ſudoriferorum, & omnium princeps. Hæc tamen remedia vetant fervidiores opii patroni. Dum e congeneribus mitiora vetant, cur potentiſſimo favent?

II. Acres ſunt humores, acerrimi, sæpe corroſivi? Quid proderit opium, acerrimum, corroſivum remedium? Acrimonia oppoſita morbidam forſan corrigit acrimoniam? Minime; nam:

III. Putreſcunt in variolis omnes humores; & ad alcaliſcentiam, potiusquam ad acetiſcentiam, vergere opium monuit Cl. Aleſton. Demonſtrant præterea experienciæ ligaturas nervorum citam horrendamque excitare putredinem, immo gangrænam in partibus quas adveniunt;



at opium , ut ligatura , nervorum functiones impedit ; metuendum ergo ne ex opio putredo augeatur , tum quatenus opium est , tum quatenus somnum adducit , quo durante secreti humores mora sponte corrumpuntur .

IV. Ex opii usu , tum interno , tum externo in morbis inflammatoriis , ortas gangrænas quis non vidit , legit , aut audivit ? Hic sane vivit homo digitis pedis unius carens , quæ secare coegit horrenda gangræna cito excipiens applicatam tincturam opii scopo phlegmonodeum dolorem fugandi . At in gravibus inflammatoriis variolis præfens est semper metus gangrænæ ; tunc ergo , dum ardent omnia , dum phlegmo est quasi unicus totum corpus , præscribetur opium ?

V. Turgent omnia vasa copia , & rarefactione humorum : frustra enim negatur hæc rarefactio a viris qui regulas physicas aliorum corporum strictè nimis corpori humano applicant . Illa unice exoptant remedia optimi medici quæ & rarefactionem coerceant ; & , omnes secretionnes sollicitando , vasa inaniant . Illas omnes , solo , qui obtineri nequit , sudore excepto , impedit opium , & rarefactionem adeo auget , ut , jam observante Petro Borelli anno circiter 1660. incisam venam denuo aperiri cogens lethalem hæmorrhagiam excitaverit ; morbo ergo adversatur .



tur. Et in genere nocet somnus quando prodest venæ sectio; nec male damnosum illum post phlebotomiam credit ipsa plebs; adversæ sunt enim virtutes; & contingit quotidie ægros videre qui levamentum ex venæ sectione somno deletum dolent.

Confidimus omnes, nec immerito, larga salivatione; hanc cohibere opium demonstratum est; nocere ergo non nequit. Novi hunc effectum negare nonnullos; at male; ipseque falsus est opiophilus *Sidenhamius* tempore quidem somni minui salivationem, sed post somnum majori copia resurgere. At si nihil inde e copia decedit, cur sæpe adeo confugit ad oximel scillicicum, quod nauseas excitando potenter salivam cieret? Fassi sunt alii revera inde minorem esse salivæ ejectionis copiam; sed quot virtutibus tegitur hoc vitium! Vitium vidi sæpe, commoda nondum. Usu opii minuitur certo & danose salivatio.

VI. Vix intelligitur quomodo prodesset somnus artificialis, dum ipse naturalis nocet; hunc enim haud semel arte excutere cogebam, cum viderem succedere stertorem, anxietatem, pulsus ataxiam, faciei turgorem, secretionum cessationem, metueremque ne ex somno facilis esset ad lethargum descensus;

*Sed*



*Sed revocare gradum superasque evadere  
ad auras*

*Hoc opus hic labor est.*

*Pauci potuere.*

Dum in benignissimis variolis, quibus detinentur pueri, dolores qui in lacrymas illos compellunt diacodio sedavi, nihil damni inde in tam levi morbo metuens, vidi, non semel non bis, sanguinem ad caput coactum, oculos tumentes, palpebras turgidas.

Nec mirandum nocere somnum in variolis, dum attenta docet observatio plus damni quam emolumenti ex somno reportare febricitantes. Quis enim Medicus non vidit illos pejus se habere post somnum quam ante? Quotidie sane post somnum difficilius deglutunt anginosi, acerbius queruntur cephalalgici; difficilius respirant dispnoici; acutius dolent sæpe ineunte somno rhumatismo detenti, somnoque accurate carent adeo anxioso & sæpe spasmodico; debiliores sunt plethorici ex majori nervorum compressione. Nec similes observationes veteres illos Medicos latuerunt, qui somnum in febribus improbarunt, *ne per eum ad interiora reperet calor, qui a febre ad exteriora vergit*; & huc forsàn aphorismus *Hipocratis* qui morborum, (acutorum ut videtur) periculum ex somni effe-



effectibus judicat. Mitis minime, gravis valde somno augetur.

Nocere somnum dum viget febris video quotidie; pluries vidisti ut me benevole monuisti; vidit sæpe Cl. *Young*, qui novit etiam & cuique patet in somno turgere vasa; quod sequitur necessario imminutas secretiones; additque ex somno oriri omnia phænomena plethoræ immo & obstructionis; inde facile intelligitur quanto nocere possit in morbis, & tanquam verum in praxi axioma affirmare audeo, somnum qui sanos refrigerat, febricitantes calefacere.

Paradoxa primo intuitu videtur hæc propositio; qui vero attente perpendet causas sani & morbofi somni, somnique effectus, rem mox capiet. Oritur vel ex defectu spirituum, vel ex nervorum compressione; & in sanis plerumque ex utraque causa. Laboribus diurnis exhauriuntur spiritus, & accenditur levis illa febricula vespertina qua nullus fere mortalium caret. Hæc vespera, conditio hominis sani; deficient spiritus; deficit sæpe tenuior humorum pars motu dissipata; crudi humores ex alimentis nondum coctis stimuli vice funguntur; caput sæpissime humoribus præ ceteris partibus turget, sanguis phlogistice densari incipit, nam ex diuturnis vigiliis pessimæ oriuntur inflammatoriæ febres.



febres. Ex morbo nascitur remedium, & inepta fit motui machina cui noceret motus; ad quietem componitur necessario corpus; quiete damna ex gestis, & assumptis reparantur.

Vires nimirum extraneæ, tum physicæ tum morales, vim cordis juvantes cessant, & lentescit circulatio. Rarior ergo pulsus, rarior respiratio quæ nota proportione motus cordis, in plerisque casibus sequitur. Lentior est motus sanguinis ad cola, parcior inde humorum secretorum copia, & ipsius quidem expirationis cutaneæ, ut ut aliter suaserit maior cutis ex parco expirato non avolante oriunda. Nil ergo ut parum amittit sanguis, ex motu minore minor densatio, minor calor, minor calefactio; crudum coquitur, assimilatur, coctum applicatur; inde humectatio, reparatio, nutritio solidi. Reparantur spiritus, restituntur vires, mane sanus surgit homo qui vespera ægrotabat; ægrotabat enim qui dormitavit. Dum somno rescinduntur morbi causæ, redit sanitas.

Sed in febricitante longe alia rerum facies. Somnus non tollit causas ægritudinis, de illa ergo nihil detrahit. Impedimentum est curationi, auget ergo morbum. Errorem fecit manca observatio. Viderunt somno nocturno in sanis lentescere circulationem, refrigerari dormientes;



tes ; inde concluderunt hanc esse vim somni ut semper & ubique refrigeraret ; non attendentes refrigerium oriri ex cessatione caussarum motus & caloris . Viderunt somnum oriri post opium ; inde dixerunt , somnus refrigerat , opium sopit , ergo ultimus opii effectus refrigeratio , ergo in variolis dum exquisita refrigeratio desideratur , proderit opium . At falsa propositio , falsa conclusio . Somnus iterum , tunc tantum circulationis frequentiam & calorem minuit , cum tempore somni tolluntur causæ motus . In optima valetudine oritur quotidie levis morbus febrilis ex labore diurno , quem sanari voluit natura placida illa quiete quam somnum dicimus ; unicum tunc febrifugum remedium somnus . At in omni alia febre hac vi destituitur . In sanis alia sunt auxilia cordis , alia in infirmis ; prima somni tempore cessant , non vero secunda ; impar ergo effectus .

Biliofa febre laborat homo alvinis sananda evacuationibus , urinis , largo diluente acescente potu ; anxie sex horas dormit , anæ mitior evigilanti febris ? Nequaquam . Ex tardiori motu peristaltico congestio , stagnatio , putredo major putridi intestinalis ; parciores urinæ , paucior perspiratio , quod ultimum maghi esse momenti crederem ; acce ergo in sanguine retinetur , stimulat



mulat magis ; frequentius pulsat cor , acutior febris . Præterea ex immutato aere calor major ; ex defectu potus nullum putredini injectum frænum ; multiplici ergo modo nocuit somnus . Eadem argumentatio valet in variolis ; nihil de caussis morbi auferre valet , nihil morbum minuit ; eas e contra auget & curationem moratur ; vires itaque ægritudini addit .

At somnus virium reparationi necessarius est , necessaria est virium reparatio ; ergo . Falsa major , dubia minor , falsa conclusio . Ut somnus sanos refrigerat causas caloris impediendo , sic vires reparat retundendo causas quibus fractæ erant ; at in febre franguntur morbo quem minuit somnus , & defunt reparationis instrumenta ; viribus ergo nihil addit , & id probat quotidiana observatio . Vere & unice roborant in morbis remedia quæ morbum demant ; quo magis deprimitur , eo magis erigitur æger ; & longe magis , hoc scopo in febre cum putredine , proderunt uncix aliquot succi citri quam Epimenideus somnus .

Ne credas tamen , suavissime Hallere , me omnem somnum , imo omne narcoticum in acutis rejicere ; absit . Hoc tantum volo , sæpe somnum , sæpius narcotica febricitantibus nocere , morbum augendo viresque remediorum convel-  
lendo



lendo . Contigit sæpe , & nuperrime dum hæc scribo , observasse febricitantes , qui dum male suasi opium vespera devoraverant , pejus , post sævam noctem , mane ægrotabant . Novi e contra pulchros illius effectus quando sublata plethora , diluta phlogosi , laxatis vasis , in morbis adhibetur ; tunc enim tanquam diaphoreticum agens , mira operatur . Sed prudenter a prudente medico . Magna hic patravit Ill. *Agnius* .

Vidi in confluentibus somno caruisse ægrum per septem nictymera nec pejus se deinceps habuisse ; alios qui sopore subinde prehendebantur excitari sæpius curavi , dum evigilantes anxios magis viderem ex retenta salivatione , quæ in desinenti rivo fluens minutam cohiberi nequit quin tumeant magis fauces . Illam ad septem libras intra nictymerum ascendere vidi . Diutius aliquoties , jam superato morbo , immo ad triginta dies , ut vidi , remanet salivæ , fluxus ægris molestus , quem tamen compescere nolui ; crisis est enim utilis & sponte cessans prout novam acquirit diathesim sanguis , & solida , accedente præsertim exercitio , roborantur ; tabidam memini puellam , cujus morbi initium fuerat tussis post compressam salivationem gargarismate adstringente .

Nec



Nec defunt aliæ rationes contra usum opii in secunda variolosa febre; nam

VII. Hæc feligere debet remedia medicus quæ non modo favent crisibus, quibus sanari debet morbus, his vero omnibus infensum opium vidimus, sed etiam symptomata removeant quæ supervenientia lethalitatem adducunt. Hac vi pollere opium in nostro casu tantum abest, quin omnia ciere aptum est. Aut lethargo necantur plerumque variolosi, aut orthopnea ex congestis in pulmone humoribus; quis inveniet medicamentum quod certius utramque mortem inferre possit?

Metus est continuo ne accedant phrenitis, angina, pleuritis, peripneumonia, hepatitis, ischuria, intestinorum gangræna; & frustra quaeretur auxilium quod hæc omnia citius arcessat.

VIII. Anxii sunt, sæpe deliri, calent, sitiunt; ex opio anxietas, delirium, calor, sitis.

IX. Ut vinum sic opium. Quis, furente suppuratione, largos haustus vini propinaret?

X. Intolerabilis aliquoties pruritus. Quis nescit ex opio increfcere pruritus?

XI. Video optimos Medicos aut opium in febribus acutis vetare omnino, aut cautissime saltem adhibere; capere nequeo cur tam audacter illud adhibeant in secundaria febre, omnium



forſan februm acutiſſima; niſi antivarioloſa ſpecifica vi præditum credant, quod nullum cogitaſſe huc uſque audivi. Varioloſa febris eaſdem indicationes præbet ac febris putrida leviffima, eamdem ſuaſit medelam olim *Riverius*: quomodo in ſimilibus omnino morbis diſſimiliter omnino operabitur remedium?

Omnes demum vires opii evolve; nullam invenies, excepias velim ſudoriferam & dolorum ſedantem, quæ veris indicationibus non adverſetur. Sed anne hoc duplici reſpectu prodent? Minime. I. Priſca & nova medicina ſudores moliuntur numquam dum ardet febris. II. Ut profluant ſudores neceſſarius eſt tum humorum ad cutim raptus, tum ille cutis ſtatus qui evacuationem non impediat; ſed talis eſt in variolis ut nequaquam ſuccedere poſſit. Damnoſe ergo ad cutim coguntur humores; inde nulla evacuatio, ſed major cutis tenſio, inflammatio, major irritatio, febris incrementum. Nec illa impoſſibilitas egregios latet viros qui opium adhibent; ſimul enim nituntur humores ſubducere alvo, & veſica, quæ alias claudi curant ſolos ubi ſudores movere cupiunt, hi naturæ fideles imitatores, quam cutaneam ſecretionem in acutis moliri prævidemus, ſi clauditur alvus, & minus profluunt urinæ.

Seda-



Sedabit dolores. Certe dolorum causas auget, infarctum nimirum vasorum, & cutis inflammationem. Superest ut sensorium commune obtundendo animam a dolore avertat. Sed stupor ille oritur ex aucta compressione cerebri; quantum vero habet periculum lenimen dolorum quod obtinere nequimus, nisi causam dolorum, & omnes alias pessimas morbi conditiones augendo?

Nocivum est ergo pharmacum opium in secundaria febre variolosa, quatenus febris acuta, inflammatoria, putrida, & auget omnia symptomata quæ ciet febris.

Expertus loquor, vera dico; a novem annis, nam per biennium nondum sat firmata circa opium mente, aliquoties cespitavi, numquam in periculosa secundaria febre, & plures & gravissimas vidi, quoties solus medicus pro lubitu egi, narcotica adhibui; &, sancte affirmo, nulli ægro æternum vale dixi. Sæpissime vocatus pro ægris qui malo consilio diacodium largiori dosi adhibuerant, nec sat refrigeranti medela illius noxas impediverant, pessimos dolui effectus, quos aliquoties superare concessit Benignum Lumen usu purgantium & acidorum; aliquoties fera medicina cassa fuit. Vere anni 1754. rus accersitus pro nobili quinquagenario



ægro qui, septimam morbi diem agens, narcotica suafu duorum aliorum medicorum usurpabat, anginam inveni quæ ante aliquot horas orta deglutitionem & potum jam impediēbat. Venæ sectionem frustra suafu. Narcotica per viginti quatuor horas omitti obtinui. Plura applicabantur enemata; deglutire potuit. Nona ad narcotica denuo confugitur; occluduntur fauces post secundam dofim. Decima delirat, nulli remedio patet aditus; venæ sectionem frustra follicito. Ulu enematum, & prohibita narcoticorum deglutitione post aliquot horas bibere potuit; at diacodium potui mifcebatur; accedit anxietas, increfcit delirium, denuo obftruitur pharynx. Duodecima lethargus. Confilio quinque medicorum tunduntur venæ pedis & brachii, at fero; apponuntur cantharides quibus frustra interceffimus medicus ordinarius & ego; pelle vervecis coram excorticati, plebejo, ftulto, nocivo confilio involvitur. Noctu ftertor, mors. Viveret verofimiliter utilis paterfamilias fi, miffo diacodio, totidem uncias fpiritus acidi potaffet. Plures enim vidi copiofioribus puftulis obfeffos qui ne per minutum quidem aut delirarunt aut anxii fuerunt; lætique vado emerferunt; fed ne guttulam firopi equidem papaveris thoeados deguffarunt.



Taxandi ergo omnes, ad unum aut alterum forsitan, Illustrissimi Europæ Medici, veri artis principes, qui vim supuratorie febris opio vincere conantur. Avertat Deus. Plures sunt quos nemo præ me veneratur; sed tam pulchre perfecta est omni alio puncto illorum methodus, ut ex uno remedio minus consono vix periculum esse possit. Tanta præterea pollent sapientia & experientia ut jurare auserim illos, ab opio, quod in genere commendant, in multis casibus carere. Præterea sirupum diacodii plerumque præscribunt, quem sæpe in officinis inveni demulcentem potius quam narcoticum; imo aliquoties, ex saccharo, vi acidorum potius quam opii gaudentem. Et hanc differentiam jam fuisse tempore *Sidenhamii* suadet tum notissima quam habet observatio, fæminas hystericas commode laudano liquido, damnose diacodio uti; tum cautela quam nobis tradidit, experientiam nimirum probasse palmarium ceteroquin in variolis opium liquidum aliquoties calefacere; quod non erat vitium diacodii.

Exulandum ergo opium e variolarum curatione? Minime; suas, & magnas laudes in hac provincia meruit, sed non in illo quo præfertim commendatur casu.

Illud adhibeo I. quando debiles videntur vi-



res vitales, & cardiaca imperat necessitas. Sic offendo sæpe pueros teneros, debiles, nimis mobiles, qui anomalisprehenduntur symptomatibus ante eruptionem, & primis eruptionis diebus, cum pulsu irregulari, debili, frigore, syncope. Vires tunc erigo usu opii quo præstantius non datur remedium quoties ex interioribus ad exteriora expellendum virus aberrat. Sic hæud ita quidem unico, sed paulo largiori, laudani liquidi haustu, omnino fugavi sævissimam anxietatem, quam ab octiduo generosus vir patiebatur, ex viru arthritico, ventriculum laceffente. Sævus dolor articulum corripuit, liberabatur stomachus.

Sed facilis in variolis ex usu ad abusum lapsus. Deposito viro ad cutim, mire, antea oppressæ, eriguntur vires, & nisi seponatur quod vitam servavit opium, mox illam secabit, vehementissima oriente febre supurationis, potentissimis sedanda refrigerantibus. Puerum lapsa æstate curavi qui laudani liquidi drachmam sequi intra tertiam & quartam morbi diem devoravit; sic cogentibus mobilitate, & debilitate; perfecta numerosa eruptione, optime per aliquot dies valuit. Intra nonam & decimam sex absumsit drachmas spiritus sulphuris, sic volente febre supurationis. Raro vidi in adultis similem

muta-



mutationem. Sed ut pueros sic omnes illos quibus tenera constitutio, mobiles nervi, depressus animus, opio quod circulationem roboret, nervos sedet, animum erigat, egere vidi, & audacter illis præbui.

II. Pulchrum habet usum pro puerulis qui mitem experiuntur morbum sed ægre dolorem e pustulis ferunt, aut in cubiculis contineri nequeunt; tunc dolores sopit opium, refrigerium impedit, pacateque decurrit morbus; pauci sunt enim aut nihili damna quæ oriuntur ex levi illa narcoticorum dosi.

III. Si nimio impetu tempore eruptionis ad intestina sine phlogosi ruunt humores, & integram virium dejectionem minuitur diarrhæa, vidi opium ultra spem virus versus cutim retrogradi coegisse; & compressa diarrhæa madebat cutis, erumpebant exanthemata, resurgebant vires.

Accidit quoque aliquoties in malignis fusio-rem toto tempore morbi alvum vires plane convellere cum frequentibus animi defectionibus, & extremorum refrigerio; debui sæpe largas opii doses adhibere, nec timui diascordium quod leni vi adstrictoria intestinis robur aliquod impertit. Bene tum subjungitur mixtura simplex spiritibus mere acidis remixta. Nec hic me taxes inconcinna mixtione quam supra damnavi;



non enim opium, & acida eidem oppono symptomati contraria remedia; sed dolens lethale symptoma suis compesco remediis, dum putredinem morbi causam viriliter aggredior.

IV. Si ægri, præsertim juniores, aut calidiora adhibuerunt remedia, aut plenior nec satis refrigerantem diætam, si diutius clausa alvus, si acrioribus intempestive referata remediis, si diutius procrastinata purgatio, si demum error aliquis in non naturalibus commissus, tempore desiccationisprehenduntur sæpe copiosa diarrhæa, qua non modo veneni reliquiæ subtrahuntur, sed ad intestina acri irritata varioloso, omnes depluunt humores, cito deprimuntur, marcescunt, inaniuntur pustulæ, marsupium vacuum referentes quas vere tunc filioquositas dicas, pallefcit, flaccescit cutis, syncope, delirium accedunt, extrema refrigerantur, perit æger. Plures sic mortuos novi. Duorum morti, sero vocatus, testis adfui. Primus ultimam trahebat animam quo momento cameram ingrediebar, per bihorium vixit alter. Plures, tempestive accersitus, servavi largo usu laudani quod peristalsim nimiam compescit & cutaneam restituit circulationem, mollique lacteo potu, quo acre obvolvitur, reparantur vires.

In hoc casu juvant quoque vesicatoria, sed  
tar-



tardius operantur, & quod paucis forsan arridebit, affinia sunt remedia in variolis, & nonnullis aliis morbis opium & cantharides, illaque coniuncta sæpissime adhibui. Ut opium, sic cantharides vires erigunt, humores ad cutim fluere cogunt, diarrhæam compefcunt. Utiliter sæpe adhibui opium quando in debili ægro spasmodicus somnus eruptionem præcessit, & intra horam fecit quod tardius vesicatoria. Unicum est symptoma, in quo dum hæc pulchra operantur a narcoticis caveo; ubi nimirum, relicta cute, ad pulmonem acre devolvit virus, cum frequentissimo celerrimo debiliq; pulsu, cutis siccitate, orthopnœa, anxietate, delirio. Gravis est sane casus, & e pessimis in medicina variolosa, quem feliciter aliquoties cito accersitus curavi, larga & accerrima vesicatoria suris aplicando, largissimos & calidos haustus decocti hordei & sambuci melliti præscribendo, cum minimis dosibus sulphuris aurati antimonii. Quatuor vel quinque lapsis horis, remittit frequentia pulsus, recedit anxietas, madet cutis, increfcunt vires. Omnino liberato pectore, & demissa febre juvari potest natura leni narcotico. Diu fluere crura juyat.

Nocent admodum cantharides in illo sopore qui ex vi febris, & turgore vasorum oritur,

nocent



nocent præsertim in vehementi supurationis febre, quicquid contra suaserint ante triginta annos Ill. J. Freecind & illius affeclæ, lætusque video illas a recentioribus deseri. Si unquam in hac febre profuerunt, profuerunt unice largam puris copiam evacuando sed tot termnantur si quis, ut illas hoc scopo adhibere piâculum foret, præsertim dum sine tot vitiis eadem promittunt bona incisiones crurum & brachiorum, inter Anglos jamdudum, cis mare aliquot retro annos adhibitæ, dubiumque remaneat num verum variolosum pus ante quam apponerentur jam existens, aut novum quod ipsæ generarunt evacuent. Hæ sunt vires cantharidum collatæ indicationibus, a febrim, inflammationem, calorem, putredinem quas minuere intendimus au-  
 gent, vidit *Panarolus* adeo auctam vim circulationis cantharidibus, ut sub hac febre sanguis referaret venam apertam plures horas antequam apponerentur, b cutis sedandam inflammationem excitant, c sollicitandas urinas sæpe minuunt, d dolores mitigandos acuunt, e desideratam alvi lubricitatem impediunt; verbo, nulli satisfaciunt indicationi, pluribus adversantur.

V. Prodest lene narcoticum post purgantia, sub finem supurationis, ut mos fuit *Sidenhamio*; mobiles sunt enim convalescentes,  
 & pur-



& purgantia cient ataxiam quam compescit opium.

VI. Utile est quoque in illis colicis, quæ sub finem morbi decidua febre, nihil commune cum variolis habentes oriuntur ex longo usu acidorum aut refrigerantium. Præmissis enemate, morbum tollit papaveris usus. Gaudeant mulieres, theriacam adhibere licet,

Hi sunt, & paucissimi alii, casus qui tute opii usum permittunt; in omnibus aliis eo carere tutius est. Unicum monendum habeo, ne aliquis me ex præjudicatis opinionibus opio intentum credat. Magnum sane remedium quo sæpius utor nequaquam odi; sed lubens fateor, non ubique adhibendum facile crediderim remedium cujus certissimi effectus sunt sanguinem ad caput & pectus cogere, febrim & inflammationem augere, digestivas vires pessumdare, omnes naturales evacuationes, excepto sudore, cohibere.

Quærent forsan, missis narcoticis quibus alii vim febris retundunt, quodnam adhibes remedium? Respondeo, antiphlogisticam methodum eandem quam Arabibus familiarem pulchre adeo exposuit vir tot nominibus medicinæ carus, mihi que dilectissimus, Ant. Haen. Nihil efficaciam huic methodo ex omissis narcoticis decedit,



cedit , sed præterea vim augeo largo usu spirituum acidorum .

Acida vegetabilia Arabibus jam commendata , plures medici ad *Sidenhamium* usque adhibuerunt ; licet si cæco conceptu absorbentia , befoardica , theriacalia simul præscriberent . Illis non multum utebatur *Sidenham* in maligna gangrænosa specie quæ plures anno 1670. vastavit , & anno 1674. rediit , hoc demum anno spiritum vitrioli cerevisiæ ad gratum saporem instillavit , & de eodem remedio in eodem casu loquitur denuo in pulcherrima epistola ad *P. Cole* & in *processu integro* . Sed quod mireris , ubique monet hoc remedium adhibendum esse usque ad plenam pustularum eruptionem , tempore vero supurationis illud deferere videtur , non novit ergo quantum polleret contra secundariam febrim .

Medici Angli , qui cæterum medicinam adeo duntaxat , quibusque multa egregia me debere lubenter & gratus fateor , *Sidenhamii* vestigia sequentes , in anomalis malignis variolis spiritum vitrioli cum aromaticis adhibent . De illius vero usu in secundaria febre silent ; nec siluissent tamen si , ut ego , novissent præstantius non dari auxilium . Et sibi sane constant qui dum narcotica scopo febrim pacare adhibent



bent , acidis spiritibus abstinent . Diffona sunt enim remedia se invicem castrantia , ut infra patebit . Spes est vero Ill. *Trallesum* qui opii damna novit , facile mihi assensurum , & acidos spiritus probaturum , & sane illius consensu niti gaudebo & gloriabor ; ut gloriior niti consensu eximii *Sindenhamii* , consensus est enim quod dicit de vera virtute spiritus vitrioli . Nec capere possum tantum virum illum non adhibuisse tanquam sacram anchoram contra rabiem supurationis , quoties in illius scriptis lego , *existimabam spiritum vitrioli utrique intentioni , tum putredinis oppugnandæ , tum perdomandæ caloris ferociæ satisfacere posse* . Quod enim hanc duplicem vim habet remedium indicationes variolosæ febris explet , præsertim si urinas ciet & salivam . Hæc autem omnia possunt spiritus acidi , quod recte primus , ni fallor , omnium , solus forsan huc usque monuisti ; dum narrando epidemiam Bernensem cujus putredo acida suadebat , mones die nono vespertino potui obmetum putredinis , & febris secundariæ additum phlegma sulphuris . --- Die decimo , eædem ( nigra ) pustulæ post assumptum validius acidum flavescunt ; ciborum aliqua cupido rediit . Non satis vero animadvertæ pulchræ illæ observationes paucos , si aliquem , duxisse medicos videntur .

Sum-



Summum periculum in hac febre oritur ex calore, inflammatione cutis, impedita transpiratione, resorpto continuo pure, cujus transitum in sanguinem febrem semper ciere nemo non novit, putrida labe humorum naturæ animalis adeo infensa. Indicat ergo remedium quod febrilem retundat calorem, retentum perspiratum alio colo educat, puris resorpti effectus cohibeat, & humorum incipientem putredinem arceat. Hæc possunt spiritus acidi; non vero in gravissimis casibus, alia selectissima remedia. *Vidi*, inquit *Ill. Th. Svenke*, *lac ebulliatum &c. succum citri, in varioloso putrido, nihil ex putrido ægroti mutasse, sed in id brevi degenerasse.*

Acida mineralia quæ fauste in malignis sic dictis, præsertim sanguinolentis adhibueram, febrili secundæ sub finem anni 1754. primum opposui in gravi casu quem acidis vegetabilibus aliisque huc laudatis superare nulla spes erat. Forres pulsabat angina quam venæ sectione removi, & drachmas duas spiritus vitri totidem unciis sirupi violarum, unde gratus rubor, mixtas cum larga copia aquæ fontanæ intra trihorium forbillari curavi. Febris inde remissio, & urinarum copia ultra spem. Continuavi pauciori dosi; alvum duxi, & feliciter emerfit, quam in  
vado



vado hæerere timueram; & sane hæfisset fi fpiritus nitri defuiffet.

Anno fequenti variolarum feraciffimo frequenter idem adhibui remedium, pluresque ægros fæviffimis confluentibus detentos faufte fanavi, cavendo ne quicquam toto morbi decurfu deguffarent præter ptifannam hordei, emulfiones, fuccum citri, faccarum, fpiritus acidus, aquam fontanam; & narcoticis præfertim abftinendo.

Non modo in febre fupurationis, fed quoties nimis accenditur febris, acidus fpiritus præfcribo, & vota nondum fellerunt. Nuperrime decennalem curando puellam, fexagesima circiter ægrotationis hora tam vehemens oriebatur febris cum delirio, anxietate, & nescio quibus minimis, fufcis, maculis cutaneis, echimofibus nimirum ex vi febris ut de eventu follicitus effem. Post enema drachmas tres fpiritus acidi intra quadrihorium propinavi. Remittebat fenfim febris; pacatam noftem duxit ægra, & mane cum rorido fudore primæ erumpebant pufte læ benigniffimi morbi. In febre fupurationis largiffimas propino dofes, & ægram nuper fanavi quæ intra quadraginta horas uncias duas fpiritus sulphuris cum firupo violarum & tenuiffimis emulfionibus unice devoravit.

Pueros vidi hoc autumno hæmorrhagia uarium,

& mi



& miſtu ſanguineo cum ſœdis puſtulis & frequentiffimo pulſu, laborantes, fauſte ſanatos dum pro victu & potu ptifannam hordei, pro remedio largas doſes ſpiritus acidi ſirupo mororum ſilveſtrium edulcorati devorabant. Non neſcio graves viros hic ſuadere varia adſtringentia, alumen, catechu, ſanguinem draconis. Sed pace tantorum medicorum, multis ſœdari videntur incommodis, nec ea, peritioribus quibus laudantur relinquenda, præſcribere auſim. Vim habent præcipuam ex principio acido, quod tutius eſt merum propinare.

Suadent alii corticem peruvianum, quem ſuis laudibus in variolis fraudari nolim; ſed fateor in febre ſecundaria graviore, poſt morbum vere inflammatorium nondum adhibui, quia nunquam vidi tuto adhiberi poſſe. Et in miſtu ſanguineo caute adhiberi vellem. Impar ſane videtur explendis indicationibus febris ſecundariæ; nonnullis adverſatur. Sed multum prodeſt ut in malignis febribus, ſic in malignis illis variolis quæ laxas fibras, ſolutum putridumque ſanguinem, ſummam debilitatem exhibent, & gangrænam continuo minantur ex vapido putridoque ſanguine. Tunc toto morbi decurſu ad drachmas tres quatuor aut quinque quotidie deglutitus, fauſte morbum convertit. Cum poſt



ſæviſſimum morbum , in puero duodecennali , pars maxillæ inferioris excidiſſet , curam pulchre terminabat frequentibus at minimis propinatus doſibus ; lacte ſimul vaccino , inſtar alimenti , cochleatim & ſæpiſſime ſorbilato . Prodeſt quoque contra febrem illam lentam quæ aut graviffimas , aut male curatas , aut malignas variolas aliquoties excipit ; & tabem arcet . Utiliter demum adhibetur ſi , quod vidi , intermittens febris variolis jungitur ; in omnibus aliis caſibus , minoris eſt , ſi alicujus , utilitatis .

Cortici peruviano non adeo viribus diſſimilis camphora , quem in varioloſa praxi primus adhibuiſſi pluribus deinceps monſtrans viam , in malignis ſpeciebus nonnullis , acidis nuptum , admodum prodeſſe vidi . Hæ ſunt in hoc morbo , ut docuit uſus , illius virtutes : vires blande erigit ; fibras leniter ſtimulando putridum viru coercet , & ad cutim deſicit ; quæ quantum proſint in quibuſdam variolis , facillime nemo non capiet . Intelliget ſimul ſæpius nocivum fore . Pluribus opii virtutibus pollet , plerique caret vitiis , & hujus remedii loco ſubſtitui ſæpe deberet ; in nonnullis caſibus , haud inepte maritantur , & hanc miſcelam in peſte maligniſſimo morbo anno jam 1564. video adamatam magno illo Conr. GESNERO quem



HALLERUM sui sæculi ultro dicerem; HAL-  
 LERUM saltem medicum, suos enim HALLE-  
 ROS atavos tuos & magnos viros in theologia  
 & politica hanc ætatem habuisse nemo nescit,  
 nisi adeo in historia civili & ecclesiastica hospes  
 ut ignoret Chr. HALLERUM beatum reforma-  
 torem nostrum fuisse anno 1528, & alios  
 HALLEROS Consules Bernenses reipublicæ  
 quondam habenas magna cum laude tenuisse.

Ad acida redeo e quorum usu hæc bona re-  
 portat æger, 1. indefinenter fluit saliva, quod  
 quidem ut jam monui somnum impedit, sed  
 iterum, quid refert? Destructio causarum mor-  
 bi est somnus ægrorum. 2. Urinæ copiosissime  
 fluunt; 3. alvus quam arcte claudunt narcotica  
 facilis est sub usu acidorum; & sola enemata  
 largas sæpe cient evacuationes. Nunquam pe-  
 rinde accidit hæc diarhea quam superius memo-  
 ravi, & quæ ortum debet acris sordibus in  
 intestinis congestis, aut ad intestina depositis,  
 & nunquam periculo vacat; quantum enim  
 prodest laxa alvus toto morbi decursu, quan-  
 tum prodest paulo fusior aut sponte aut arte  
 tempore supurationis, tantum nocet subita co-  
 piofa diarhea sub finem exsiccationis eveniens.  
 4. Longe minus ascendunt febris, calor, sitis,  
 anxietas, pruritus.

5. Nul-



5, Nulla metuitur angina & quod miratus sum, & nescio cui specificæ virtuti acidorum tribuo, delirium aut phrenesim nunquam observavi.

6. Queritur Ill. HAEN vir in incrementa praxeos natus, *benignissimas variolas a causa vix detegenda in malignas mutari; & subitam mortem visam aliquoties in variolis sine ullo variolarum prolapsu*. Questi sunt jam dudum SILDENHAMIUS, FREINDIUS & alii; utrumque vidi casum. Anno 1755 decima morbi die vocatus, puerum jam mortuum inveni cum pulchris variolis discretis quidem, sed numerosis, qui, ut narrabant, bene eo usque pro morbo valens subito acerbe caput doluerat & intra duas horas expiraverat; cadaver aperire non concedebatur; pus sane exhibuisset caput. At unde resorptum, plenis pustulis? Fontem non ignorabit qui attente legit *Haeniana* opera: Alios plures vidi qui sat levi morbo detenti, maturationis & præsertim supurationis tempore anomalis prehendebantur symptomatibus; benignus morbus fiebat malignus. Removendo periculo, Deo dante, par fui aliquoties, impar alias. Causa tristium illarum mutationum est semper putridi miasmatis resorptio; nam ex putredine malignitas, vel si in partem aliquam



nobilem subito deponitur sæpe cita mors . Lethalem ex simili causa vidi hepatidem . Rariores esse illos casus , dum salubris quam delineat methodus adhibetur , monuit Ill. Archiater Austriacus ; num dentur sub usu acidorum mineralium dubitare licet , nondum enim vidi ; nec mirum ; quicquid enim nocivi sanguini miscetur , antidoto protinus corrigitur , & colis semper apertis evacuat .

7. Numquam observavi , imo post gravissimos morbos , tædiosas illas & sæpe insuperabiles reliquias quas indomitum & retentum viru hinc inde depositum producit .

Mineralia acida omni tempore morbi adhibeo quotiescumque nimis increfcit febris ; & semper , in paulo graviori morbo , a primo insultu febris supuratoriaæ ad illius usque talem remissionem quæ superati periculi certam fidem facit . Nondum fefellit , & multiplici experientia eo adductus sum ut acida mineralia firmiter credam optimum esse frænum huc usque notum variolarum ferociaæ objiciendum ; & omnes medicos sollicite rogo ut quid & quantum possint missis narcoticis , indefinenter experiantur ; firma est enim spes plures illorum ope sævissimas superatas fore variolas , quibus sanandis impares sunt selectissimæ aliæ methodi .

Ite



Iterum verum moneo, qui acidorum vires experiri volet, caveat a narcoticis quibus castrarentur; omnino enim oppositæ sunt virtutes. Dissensum breviter oculis subicere liceat. Calorem, & putredinem augent narcotica, retundunt spiritus acidi; dispnoeam & anxietatem augent prima remedia, minuunt secunda; post narcotica cessant alvi, renum, glandularum salivarium secretiones, crescunt sub acidorum usu. Mentem obnubilant papaveraceæ præparaciones, serenam reddunt acida: verbo nullam proprietatem communem habent, oppositas omnes. Componantur utraq; cum indicationibus variolosis, & seligatur. Unica superest de spiritibus acidis animadversio quam omitti nolum. Dum uno ore acida vegetabilia commendantur, cur non monitum ad potentissima confugiendum esse quoties imparia videbantur debilia? Sane si in mihi morbo conveniunt debiles species generis acidi, in gravissimo audacter adhibendæ sunt efficaciores.

Ut deglutiti spiritus acidi tam belle profunt sic quoque aceti vapor HIPPOCRATI jam commendatus orthopneæ variolosæ ex inflammatione pulmonum præ omnibus aliis cito medetur; pluries adhibitus raro me fefellit; & monuit Fama te illius ope servasse nobilem



gravidam fœminam jam conclamata, & cui pro more loci calidiora forsan remedia propinaverant medici quibus commissus fuerat morbus.

Ne credas tamen, Illustrissime amice, me spiritibus illis unice confidere; minime; at in auxilium voco totam methodum antiphlogisticam jam jam laudatam, solo misso opio ceteris remediis alieno.

Præter venæ sectionem, in miti morbo inutilem, in mitissimo aut maligno nocivam, in gravi repetendam initio donec ex pulsu, lenitate cutis & remissione symptomatum noscas resolutam esse phlogisticam diathesim, liberatas partes inflammatas, mollitam cutim; decurrente morbo toties instituendam quoties veræ inflammationis resurgit metus, & ante eruptionem ut cum PATINO & in ipsa eruptione, & post plenam eruptionem; nam ipse morbus totus est a sanguine, ideoque graviter peccant hæmophobi. Præter venæ sectionem inquam enemata præsertim adamo, pediluvia, & quo tempore gravior est febris longam extra lectum moram. Plurimaque doctus experientia mea scio quæ de damnis lecti habet SIDENHAMIUS; nec memorantur quæ contra adduxit cel. MEADIUS. In gravi casu, fœminam triginta & aliquot an-



nos natam, gravidam confluentissimis obsessam variolis, per septuaginta horas in medio cubiculo aere undiquaque perflato, sedentem detinui, & plura semper obtinui bona; nam *a* remittit febris; *b* facilior est respiratio; *c* non ruunt ad caput humores, sed ad decliviores manus & pedes; *d* minus incalescunt renes; facilius fluunt urinæ; *e* non retinentur intra linthea putridæ emanationes sed continuo avolant; *f* continua est aeris mutatio; & sancte resior, sæpius vidi, quo momento lectum deserabant ægri, in lætam mutari sinistram morbi faciem. Calus tamen esse variolosos qui decubitum in lecto amant negare nolim, refellente quotidiana praxi. Sed nunc ago de gravi febre supuratoria, & morbo inflammatorio.

Huc spectat refrigeratio aeris adeo sæpe necessaria, dum æstivis præsertim mensibus fuerunt variolæ; certo obtinetur aspersione tabulatorum, & murorum tum interna, tum si foli obvertuntur externa; & evaporatione conglaciæ aquæ cui immerguntur rami salicis aut fraxini; quæ methodus veteribus & præsertim methodicis deamata a paucioribus recentioribus usurpatur, & quam ipse, ardente syrio, immo sanus in proprio cubiculo utilissime adhibui.

Necessaria est quoque, quidquid etiam hodie



clamitent nonnulli, indusiorum mutatio; nam supurationis tempore horride fœdantur ruptis pustulis, & damnose his putridis linteis involuti remanent ægri.

Pediluviiis, aut mollibus fomentis continuo applicatis pedes & crura sic dispono ut humoribus facilem aditum præbeant, tum plantis pedum epispastica apponi curo, quæ huc humorum congestiones adducunt. Ex hoc remedio, ultra quod crederent inexperti tument inferiora, detument superiora & mitescit febris, quæ hanc sæpe exhibet pulsus velocitatem in omni alia febre cito lethalem. Vidi hoc anno collum horride turgidum,educta e lecto ægra & sinapismis plantis pedum applicatis, intra viginti minuta dimidiam diametri partem amisisse. Horrendos verum est pedum patiebatur dolores quos per bihorium tolerare suasi; tunc, tumentibus admodum cruribus, sinapi removi; omnia pacabantur.

Non satis est semper crura tepidæ immergere aquæ; totum corpus balneo immittendum est. Nec præstantius datur remedium, quod simul inflammationem mire sedat, refrigerantium enim remediorum potentissimum est, & cutim ultra spem mollic. Optime præsertim in pueris prodest, lansque debetur **BOUVARDO** Ludovici

desi-



*decimi tertii* archiatro, Celeberrimique hodie practici Parisiensis atavo, qui primus quantum memini hoc remedium restituit anno circiter 1630; quod oblivioni denuo fere traditum in usum revocavit magno cum plausu Ill. SENAC. Durior adultorum cutis, vapore qui magis molli aliquoties eget; & facili applicatur apparatu, si, cruribus vasi aqua tepida pleno immisissim nudo corpore sedet æger, accurate involutus crassis linteis aut pannis quibus retineatur vapor qui pulchre sic toti corpori capite excepto applicatur; & novam addendo aquam calidam pro lubitu augeri potest.

De alimentis toto decursu febris suppuratoriae ne mentio quidem injicienda; nihil quod nutriat assumere ægros exoptandum est. Forte sunt alimentum emulsiones, minusque congruum dum acidi spiritus necessarii sunt; quas tenuissimas saltem impero, & sæpius seposui; sed enixe illas plures ægri sollicitant; totam enim superficiem labiorum & interni oris excoriatam diuturna salivatione blande mulcent, irritant e contra omnes alii potus.

Libenter tamen suadeo fructus aquosos acidulcentes, qui tam belle ægros solantur, calorem, febrem retundunt, putredinem arcent, cola sollicitant. Prosumt præsertim pueris, alvum aper-



tam fervando, unde minus necessaria sunt enemata quorum lachrimosa sæpe applicatio. Fraga, rubos, cerasa dulcia & acida copiose æstate adhibui; uvas, paulo parcius, autumnò.

Pauperes copiose serum lactis potando feliciter morbum modo haud nimis gravem superant. Impar graviori morbo medela, cujus vim acere prodest aceto. Hæc enim oxigalæ species, vilis pretii remedium, sed majoris virtutis, pulchre fugat febres putridas mitioris indolis.

Spiffiorem salivam diluo, obstructas refero nares syphone injiciendo oximel aqua tepida dilutum; & mirum quantum inde solatium capiunt ægri; longe pulchrius enim succedunt injectiones quam gargarismata. Flocci forsan hæc viderentur inexpertis; multi esse facile capies. Vidi pulsus frequentiam & anxietatem sensibilter remissile post referationem narium continuis injectionibus.

Pustulas non modo faciei sed colli, manuum, brachiorum, crurum, pedum, totius demum corporis, præsertim vero faciei, colli & extremitatum, quia in hisce partibus numerosiores sunt plerumque, majores, & cutis distenta magis, continuo aperiri curo; & prout aperiuntur, detument partes, remittunt dolores, omnia sedantur symptomata. Nec satis laudare possum  
bona



bona quæ affert hæc methodus, Arabibus jam commendata, nonnullis deinceps oſa, aliis adamata & imprimis egregio illo Felici PLATERO qui, faciei tantum nitorem respiciens probe monuit, *niſi maturius aperiantur acu, ſilo-ve acuto ( præſtant forſices ) pure retento caro exeditur, ulcuſcula cava inde fiunt, cicatrixque foveam faciens relinquitur*. Jubet deinde ut sæpe pus & ichor abſtergantur & jam obſerverat, *ſollicite nimis cavere matres ne friktionem pruritu provocatam exercendo puſtulas dilacerent, exiſtimantes inde cicatrices foveatas prodire cum potius, uti dictum, ab intactis, tardiusve disruptis id accidat*. Sed alia eſt momentofa magis hujus methodi utilitas, PLATERO præterviſa; præcavetur nimirum reſorptio puris; relaxata cute, remiſſisque doloribus maximus ſtimulus febris deſinit; & ſic accelerata detumeſcentia faciei & colli minus ad cerebrum congeruntur humores. Nec alia methodus ſecundam febrim certius ſedaret, quam ſi toto corpore omnes puſtulæ indefinenter prout turgent aperirentur & detergerentur. Sed febris ſecundariæ naturam haud intellexerant ævo PLATERI. Bene monuit illo Junior RIVIERIUS febrim eſſe putridam, venæ ſectiõne, purgantibus, refrigerantibus ſanandam, nec tamen



men veras causas novisse videtur; & hæc laus est ævi nostri. HOLLAND primus, ni fallor, pustularum sectionem, quæ fuit majoribus venustatis præsidium, tanquam morbi remedium indicavit.

Raro observavi, immo in lactantibus pueris, criticam diarheam. Plures vidi vix quatuor annos natos salivatione correptos & alvum duriorum habentes quam mollire numquam ultra biduum immo in benignissimo morbo tardavi.

Puellam curavi quæ tertia ægrotationis die, nulla apparente pustula, subito tam copiose per bihorium salivavit ut aliquot sputasse libras crediderit mater. Desiit subito salivatio; accessit vehemens febris; redibat saliva quinta die, & in discretissimo morbo ad undecimum usque diem sat copiose fluxit. Mechanica necessitas salivationem in multis casibus cogit; sed an hæc salivares glandulas amat variolosum virum? Multa suadere videntur.

Audimus sæpe querelas ægrorum de angina; incusant pustulas faucium sed male; oritur ex phlogistico infarctu pharyngis & partium vicinarum, sæpe salivationem præfagit; & inter res rarissimas repono pustulas faucium. Totum corpus numerosissimis pustulis obsessum vidi, nullam offerebant interiora labra; quæ tamen,  
& api-



& apicem linguæ vidi alias illis deturpari, sed cito omnia sua tempora decurrentibus. Raro ultra limbos narium ascendunt; & qui crustas spuerent aut ano evacuaerent ægros vidisse non memini.

Cadavera quatuor olim secui quorum externa cutis vix novæ pustulæ hospitium præbuisset, nullam offendit totus alimentaris tractus, nullam larinx, trachea, pulmo. Et sane vix intelligo quomodo vixerint qui, quod plures narrant auctores, laringem, tracheam, lobos pustulis obsessos habuerunt; vix intelligo quomodo irritatio glottidis & laringis, quomodo pus in tracheam & bronchia continuo depluens non excitaverint citissime lethalem tussim. Inveni quidem illas partes inflammatas, putridas, tabo diffuentes, quod fusius alibi dicam; nullam vero pustulam. Nec a priori aliquis sponte credet pustulis illas obsideri partes; nullæ enim darentur variolæ cutaneæ si epidermis mollietatem, laxitatem, teporem epithelii haberet. Paucissimas habent illi quorum cutis sic paratur ut epithelio affinis fiat; testem volo unicum cl. FISCHERUM; & sane quæ veneno tam facilem præbet exitum cutis interna illo distendi non credam nisi autopsia coactus. Anne forsan qui internas variolas affirmant, graves tamen testes quos inter ill. GUNZIUM invenire stupui,



pui , ex ulceratione pustulas adfuisse concluserunt ? Lætus vidi tuas observationes pulchre consentire , & bene utræque monstrant quantitas sit hypothesis cl. Chirurgi Galli qui febres malignas esse herpetem ventriculi excogitavit .

Unicam de purgantibus addam observationem . In confluentibus & numerosis discretis , a primo impetu febris supuratoriae mannam adhibeo scopo purgandi & sæpe alvum ter , quater , quinque deponere jam nona morbi die coegi ; nec sequentibus cesso . Numquam hujus methodi poenituit , nec tentatores alios certe poenitebit .

Video tamen omnes alios medicos serius purgare ; at spes est contradicentes haud inventuram citam purgationem , quam suavitudo ratio , numerosa confirmavit experientia . In mitioribus purgo simul ac flavescit facies , & faustius succedit quam si , ut mos est tantum non omnibus exsiccatio expectatur .

Has tempestivas purgationes sequelas morbi impedire certus sum , & plus sane in hunc scopum valet una hoc tempore , dum mobiles adhuc facile fluunt humores , quam tres aut quatuor seriores . Præcavet cita purgatio largam illam secundam pustularum supurationem , quæ exsiccationem aliquoties excipit . Tantam puris copiam profundit ulcerata cutis ut in pus totus

fan-



sanguis tabescere videatur; densissimis tegitur crustis, & pure cito rigida lintea novas excoriationses ubique suscitant; macilefcit cum febricula æger. Rarior est fauste casus & quem numquam vidi nisi in cacochimicis corporibus, aut male tractatis, si diutius procrastinata fuerat purgatio. Alvum ducendo, lac potando aut solum aut cortici nuptum feliciter superatur.

Alias & graviores obtulerunt reliquias ægri quorum cura aut non, aut, quod periculosius, male suscepta. E pluribus recentiore adducam casum. Puer sexennalis variolas discretas sat numerosas, haud infeliciter, superaverat, nisi quod dexter oculus a primo initio rubens & pustulis albis scleroticæ obsitus, sub finem morbi denuo inflammatus corneam pustulis tectam habuerit. Adeo increverat morbus ut palpebras late turgidas & inflammatas aperire oculumque videre nequiverim. Noxia plura medicamenta adhibuerant; demum ad me confugiunt, supurationem oculi metuentes. Cataplasma e mica panis & lacte oculo per biduum applicari jussi, tenui simul adhibita dicæta. Post triduum, paululum remissa inflammatione, leniter, non tamen sine lachrimis diductis palpebris, totam corneam tectam vidi tumore albescente. Idem cataplasma per novum biduum appli-



applicari volui. In melius res convertebatur, remittebant enim dolores, & mollescebat tumor. Eodem denuo appposito cataplasmate pus-  
 tula effundebatur, cessabant dolores. Reman-  
 sit pellicula alba. Eidem cataplasmati flores ca-  
 mæmeli & sambuci per biduum addi curabam;  
 tum, metū inflammationis deposito, lintea tan-  
 tum apponebantur mollissima & madefacta in  
 decocto aquoso florum resolventium & radicis  
 feniculi, cui addebatur quarta pars vini. De-  
 mum omni pellicula remota, macula remansit  
 collirio cito fugata; bonus visus. Alius puer,  
 ut certe novi, leviori morbo correptus, sed alia  
 tractatus methodo visum amisit. Quisnam mor-  
 bus? Anne pustula variolosa? Sic videtur; quæ  
 paulo diutius inepte tractata aut in scirrum in-  
 duruisset æterne oculum deturpantem, visum  
 impediens, aut totum oculum gangrena vel  
 supuratione pessumdedit.

Quoties contigit eandem partem pustula ob-  
 fessam videre, fotuum mollissimum lac indefi-  
 nenter applicari curavi; infrequens est feliciter  
 casus & in quo suus chirurgi forficibus locus.  
 Sed frequenter erumpunt in scleroticam conti-  
 nua cum lacrimatione at sine periculo.

Omnes aliæ sequelæ sunt vel I. ex defectis  
 gravi morbo viribus; sanant lac, cortex, mo-  
 tus.



tus. Vel 2. ex deposito alicubi pure. Medetur tenui & antiseptica diæta; pus lege artis evacuando; aut ad ignobiliores partes pro viribus impellendo. 3. Ex læsa aliqua parte; optima tunc est methodus, tenuis & mitis diæta, alvi frequentes laxationes, mollissimi partis ægræ fatus.

Tria sunt in genere præcepta; quorum sedula observatio multum valet ut omnes illæ calamitates arceantur. 1. Cavere aera clausum & calidum, calidaque remedia. 2. Severe, quamdiu pus adest aut febris, carne, juribus, ovis, vino abstinere; Quod pulchre ante viginti quinque annos monuisti. 3. Mature purgare.

Anomalias suas species habent benigniores epidemiæ, quas cum vitio aeris tribuere nequeas, e causis morbificis ægro propriis explicare oportet. Omnes enarrare nolo; cardinales paucis memorare juvabit, quales sæpius vidi. Pueri qui abdomen cacochilia fartum habent, quo tempore calor febrilis has sordes corrumpit, gravioribus symptomatibus morbo alienis corripuntur, quæ suam evacuantem modelam necessario exigunt. Hanc adesse causam demonstrant, 1. aut cephalalgia aut sæpe inexcussibilis sopor supra vim febris, 2. Oris foetor, fastidium & nauisæ post eruptionem etiam superstites. 3. Febris



post benignam eruptionem remanens cum anxietate. 4. Fœtor fœcum, & sæpe diarhea fœtida sine depressione pustularum. In similibus casibus vidi aliquot ægros alvum impune quadragesies & ultra intra nyctimerum deponere. Quorū calamitates intempestive supresso fluxu succedunt? In ipsis discretis, dum inepte venenum, quod salutaris diarhea subducit, confessione aut theriaca coercent, protinus increfcit calor, numerosæ erumpunt pustulæ; gaudent flebit æger tempore supurationis. 5. Delirium. 6. Lotium crudum, turbidum, ut alia nonnulla raceam. Pulchre interim per aliquot dies increfcunt pustulæ, sub finem vero maturationis & ineunte supurationis febris tempore, omnia turbantur, gravissimaque confertim erumpentia symptoma ægrum benignis laborantem variolis, orco breviter tradunt delirium, lethargicum, orthopnoicum, tympaniticum, cum fœtida diarhea, pulsu abnormi, integra virium prostratione. Initio morbi accersitus, funesta symptomata semper cavere potui ægrum quotidie purgando, jam a tertia morbi die, usu cremoris tartari & tamarindorum; & prout ducebatur alvus omnia recedebant symptomata, faustumque adeo vidi eventum ut tempore supurationis, toties purgatus æger remediis fere carere potuerit. Mo-



rosos infantes incie purgo solvendo tartarum emeticum solubile in illorum potu ordinario, hac dosi quæ intestina non ventriculum moveat. Sero mandatus, ac jam furente, decima aut undecima die, morbo, cassam aliquoties vidi medicinam, efficacem alias inveni. Unica est spes cita purgatio, tum largus acidorum usus, & denuo purgatio. Vidi talem adesse putredinem, ut acida præmittere debuerim, purgationem cito subjungere. In miti morbo diu sæpe latet anguis sub herba & tunc demum post plures dies erumpit, & facillime incautis pro alio morbo imponit; facilis medici lapsus & irrevocabilis. Unica eadem salus evacuatio alvina. Exemplum addam memorabile ex morbillis depromptum. E familia sex composita pueris duos olim ruris necaverant morbilli, quos duo alii benignos fauste superaverant. Omnium minor natu duodecennalis filius eundem incurrit morbum, benignum per quinque dies, nisi quod fœtore os & fœces inquinarentur. Sexta, jam incepta exsiccatione, subito ortopnea immani, singultu, nauseis, delirio, irregulari admodum pulsuprehenditur; ad me territi Parentes confugiunt. Symptomatum syndromè gravem minabatur exitum, nulla aderat species aut phlogoseos aut plethoræ, nulla aderat veneni retro-



cessio ; hæc omnia oriebantur ergo ex saburra putrida . Remedia omnia respuebat æger . De kermes minerali cogitavi quod minima dosi in condito ceraso propinaretur ; granum unum in scie devoravit ; inde ultra spem evomuit . Sedabantur delirium & ortopnea . Enema præscripsi ; granum alterum devoravit , quater dejecit , copiose fluxerunt urinæ , largus succedebat sudor , intra trihorium integre convaluit . In aliis similibus casibus oximel scilliticum egregium inveni remedium , laudesque merens , quas jamdudum obtinuit , nec ipsi denegavit SIDENHAMIUS . Encomio dignum est quoque in aliis casibus ; & de illo prædicari posse quæ de suo helleborato habet C. GESNERUS , multiplex me docuit experientia , *Nam & venenatos aliosque malos humores mire a centro ad superficiem pellit .*

Tribus lapsis hebdomadibus sexdecennalis horror eadem fata experiebatur , nisi quod compos sui & remediorum cupida mannam sponte devoraverit ; fœtidissimæ succedebant sedes ; citus e rivis Cocitæ ad sanitatem reditus . Duo natu majores paucas horas post sanguinis missionem ultimam , ut narrabant parentes , traxerant auram . Pejor est anomalia in variolis quæ ex malignitate oritur . Malignitatis signa plene in novo de febribus tractatu enarrata , malignitatisque



species & vocis excusationes hic non dicam; sic  
 fatis, summam debilitatem, pulsum minimum,  
 febrim indefinentem & anomale exacerbantem,  
 leve sed continuum delirium, pustulas minimas,  
 aquosas, ichorosas, nigras, maculas cutaneas,  
 hæmorrhagias ubique pororum & colorum, an-  
 xietatem continuam, fastidium, apathiam, ma-  
 lignantatis in variolis esse criteria haud æquivo-  
 ca. Nititur ubique medela acidis & antisepti-  
 cis roborantibus. Quoties alcaliscentia & calida  
 humorum dissolutio prævalere videntur, solis  
 spiritibus acidis nitendum. Ubi vapida fluido-  
 rum diathesis & solidorum laxitas adsunt, sub-  
 jungendus usus cantharidum, corticis, campho-  
 ræ, serpentariæ; tota demum adhibenda metho-  
 dus quam monstrarunt medici Angli, quibus fre-  
 quenter occurrit morbus & præsertim Ill. HU-  
 XAM; huc belle faciunt spiritus vitrioli, &  
 mixtura simplex. Nec sua caret utilitate sulphur  
 auratum antimonii camphoræ nuptum, pestife-  
 ra in alia specie remedia. Non timenda nimis  
 concussio ex leni ypecacuanæ dosi, quod reme-  
 dium pulchri est usus in affinibus morbis, &  
 tanquam arcanum, ut me jam diu docuisti, in  
 miliari febre famigeratum; feliciterque aliquoties  
 infregi legem qua me severe prohibui emesim in  
 cura variolosa.



Sed hæc de variolis sufficient , quæ si tuum obtineant assensum impense lætabor , vir optime ; tua enim probatio instar plurimarum nunc est mihi , & apud posteros cum obtrectationis invidia decesserit , industriæ testimonium erit .

Nonnulla adhuc de apoplexia & hydrope tuo iudicio subicere liceat . Brevis ero sic iubentibus aliis negotiis & ne

*In publica commoda peccem  
Si longo sermone morer tua tempora .*

Innumeri & boni quidem de apoplexia scripserunt ; quædam tamen extra provincias quas sibi demandaverant posita , pace tantorum virorum addere liceat , præsertim de generatione morbi & prophylactica methodo .

Plures sunt causæ cur cerebrum facilius ceteris partibus sanguine farciatur ; præcipuas recensebo .

1. Nulla pars datur æqualis voluminis ad quam tanta affluat sanguinis copia ; sextam enim ad minimum totius sanguinis partem accipit ; immo tertiam si MALPIGHIO fides .

2. Nulla ad quam tanto profluat impetu e robustissimo cordis ventriculo , impetu non fracto curvatura aortæ quæ remoram affert majorem quam flexiones carotidis & vertebralis .

3. Gravioræ & volatiliores sanguinis partes  
ad



ad cerebrum necessaria determinantur mechanica; inde facilis rarefactio, & vasorum læsio.

4. Nihil remorantur externa obstacula impetum sanguinis; nam bene testata fortissima vasa cerebrum adeunt. Nullum ob osseam pixidem aut parvum saltem refrigerium quod tam belle vim humorum retundit.

5. Tot dantur anastomoses ut ex obstructione alicujus vasis afferentis nihil minuatur sanguinis quantitas.

6. Vasa calvariam ingressa tot giris in cerebro reptant ut ex lentissima circulatione facilis sit ad stagnationem lapsus.

7. Nullum e musculis reditui auxilium.

8. Remoræ e contra innumeræ ex minimis faucium & pulmonis ægritudinibus. Quoties enim, & id probe notandum, augetur quantitas sanguinis in pulmone, & innumeris augeri potest causis, toties difficilior reditus e cerebro.

Patet ergo cur quoties acceleratur motus sanguinis toties caput sanguine turget; & intelligitur nullum esse morbum qui frequentius vitam minetur humanam; capitur cur plures videri n, quibus deformata fuit ossea corporis compages, ex paulo vividiore circulatione, sine morbo intra negotia & cœtus delirantes, quiete integra sanandos.



Docuerunt fidæ experientiæ, encephalo compresso, ubicumque id fiat, partem aliquam motu sensuque privari, eam nimirum quæ nervos habet a compressa parte.

His positis facillime omnes Species apoplexiæ intelliguntur; nam cum nihil sit apoplexia nisi feriatio sensuum omnium & motuum voluntati subditorum, oriatur quoties in toto cerebro aderit illa compressio quæ hujus organi functiones suspendit.

Nihil dicam de apoplexiis *Διτρεφ πατιναις* quæ ex alio morbo originem ducunt, licet si numquam orientur nisi quando nata cerebri compressio; nihil de illis quæ integræ sanitate ex causa aliqua subita tum externa, insolatione v. g. qua sæpe tactos pueros, vapore carbonum, qualem etiam hoc mense vidi & sanavi aere frigido, pediluviiis, clisteribus & succo citri; tum interna ut opium & vinum. Sed aliæ dantur quæ sine ulla causa manifesta subito invadere videntur, has autem sensim genitas asserere haud vereor, at subito increverunt: verissimumque hic HIPOCRATIS effatum: *Neque morbi hominibus derepente contingunt sed paulatim collecti acervatim se produnt*; & sane si quis attente historiam medicam ægri perpenderet, plura occurrerent symptomata quæ morbum diu

ante



antequam invaderet prædixerunt. Præcipua jam collegit HIPOCRATES, nova addiderunt variis ævis plures medici; pleraque narrant BOERHAAVIUS & ill. commentator; adeo tamen neglecta jacet hæc pars medicinæ ut de illa vix unquam audivisse plerosque medicos credas, quod acerbe merito increpat Ill. auctor medicinæ experimentalis, qui simul excitat libellum medici Veronensis ex professo circa hanc materiam scripto cujus fragmentum adducit in quo belle delineantur symptomata quæ morbo præeunt. Illa narrare inutile foret; hæc enim sunt omnia quæ majorem copiam humorum in cerebro, & nervorum læsiones probant. Frequentius observavi mentis pigritiam, memoriæ labem, in oculis inenarrabile vitium, soporem frequentem, implacidum somnum, cephalalgia frequentes paroxysmos, torporem generalem, levissimos, partiales, frequentes, fugaces paralysis insultus; & subitaneum glaciale frigus in partibus quas deinceps corripuit paralysis. Fœminam etiam novi quæ ex hoc symptomate secundum & tertium insultum paralysis brachii & femoris prævidere potuit.

Accidunt equidem apoplexiæ subitæ sine præviis symptomatibus, aut præfente aliqua causa manifesta; sed attende, compressa ira, compressus



pressus gravis moeror quem mortalium nullus novit, apoplexias quotidie generant.

Dum læta facie æmulo victorij gratulatur vir generosus reportatum quod ambierant munus, inter oscula cadit, hora lapsa cadaver jacet. Non secabatur; & apoplexiam fuisse negabit forsitan aliquis, ruptum vas in pectore accusaturus, at male, ut plura suadent. Gravis tamen moeror pessime pectus afficere potest; exemplum nobile excitare liceat. Maritus dilectam uxorem & numerosæ proli necessariam matrem amittit; gravi corripitur dispnoëa & anxietate. Senex famosusque medicus hæmorroides devias incutans illas acribus remediis sollicitat, intra bidduum moritur æger. Sævam ostendebat peripneumoniam cadaver, & ipsum cor ruptum vi sanguinis cui iter trans pulmones præclusum. Probe tibi notus uterque casus; at e diverticulo in viam.

Ponit ergo omnis apoplexia primaria sensim obstructa vascula cerebri: at uno ictu, inquit tangit; & id verum. Vix sensibilis per hebdomades, menses, immo annos labes subito in lethalem morbum mutatur. Sed quid mirum? Quis in historia morborum vel levissime versatus similia non vidit? Dum acute decumbentibus assideo de prægressis accurate sciscitans, au-  
dio



dio sæpissime jam dudum leves insultus passam esse sanitatem . Qui labore aliqua causam sibi comparavit peripneumoniæ tacite illam geret , labe phlogistica sanguinis sensim augente , quousque horrendo apparatu in lethalem morbum erumpat . Peripneumonico hodie medeor qui a quatuor & ultra mensibus morbi feminium gerit in longo itinere indutum ; ab illo tempore semel sputam sanguinis , alias febrim , dispnœam , dolores pungitivos expertus , & faulse a natura variis crisi- bus temporatim liberatus , in sat gravem demum pulmonis inflammationem incidit . Doleo quotidie ægros neglexisse leves ægritudines , quæ nascens in hepate aut pulmone vitium monstrabant , donec tandem vi morbi fracti auxilia quæ jam spreverunt implorent .

*Alitur vitium , vivitque tegendo*

*Dum medicas adhibere manus ad vulnera*

*Pastor*

*Abnegat .*

Non minori periculo comitatur contemptus levium illorum morborum qui minantem præcedunt apoplexiam , & sæpe diutissime ante insultum ; nullus est enim morbus , ut pulchre Ill. THIERY , quem diu ante facilius præfagire possis , nullus quem adultum difficilius expellas . Indesinenter ergo suadere deberent medici peri-



culum in quo conjicit ignavia circa leves illos paroxismos apoplexiæ prodromos . Præcavetur facile , raro integre sanatur ; & quod observandum , male hic naturæ creditur salus , nisi enim adjuvetur sæpe ipsi conatus quibus in morbum insurgit incurabilem illum reddunt . Quotidianum præbent exemplum morbi jam citati pulmonis & hepatis ; quamdiu enim abest febris spe nondum excidimus , quam multum rescindit accedens febris , adeo decantatum illud naturæ instrumentum . Inde videmus senes qui difficiliter febricitant diu morbos pulmonum tolerare , quibus , adjuvante febre , cito necantur juniores .

Apoplexiæ pathologia curam monstrat . Præcipua intentio est affluxum ad caput minuere ; nam pars oneris dum demitur , reliquæ superandæ parti sufficiunt vires modo nondum penitus fractæ . E ruptis vasis effuso sanguine , nulla aut paucissima ex vasorum inanitione remanet spes , lethalesque illæ intra minutum oriuntur apoplexiæ quas fulminantes dixerunt .

Infarctus seu sæva obstructio , vasis integris , spem omnem non demit ; at temperies ægri , & præsertim syndrome symptomatum selectum remedium quæ revellant & evacuent monstrant .

Quoties plethoram inveni aut phlogosim , initium



tium curationis fuit a larga venæ sectione, quæ vasa evacuando compressionem tolleret. Primæ, in gravi morbo impari remedio, secunda subjungitur; non enim sperandam esse salutem monstravit usus quamdiu durities remanet aut tensio in pulsu.

2. Adhibeo enemata mollia ex decocto emolliente melle & sale.

3. Tamarindos mannam & nitrum aqua solutos ea dosi præscribo, quæ clysteribus adjuncta diarheam excitet.

4. Succum citri aqua dilutum copiose potare iuvat. Veteribus adamata methodus qui oximel aqua solutum copiose bibere jubebant.

5. Æger erecto trunco, declivibus cruribus, nudo capite, parum tecto reliquo corpore ponendus est; sic enim minuitur impetus in caput. Nugæ hæc videntur; expertæ fidem obtinebunt.

6. Profunt ligaturæ supra genu. Dum enim magis venas comprimunt, pars sanguinis in cruribus detinetur & reliquo demitur corpori; minor inde in capite copia. Multi esse in hæmorrhagiis quisque novit; & apoplexiam esse hæmorrhagiam cerebri jam dudum monuerunt graves medici.

Dum jacet immobilis æger, assessores & sæpe medi-



medicus, pessimo errore motum restituere cōnantes, indefinenter ægrum variis stimulis la-  
cessunt; sed quam damnose; non deficit enim  
motus cordis quem suscitare solum possumus; ac  
deficit potestas sentiendi & artus movendi, uni-  
ce restituenda compressionem cerebri minuendo;  
quam minuere una est methodus, vitales nimi-  
rum motus & plethoram rescindendo.

Sedulo ergo cavendum ab omni concussione,  
volutatione, frictione; ab omni potu aut fœtu  
calescente, aromatico, spirituofo, ab omni  
demum auxilio quod deprimendam vim circula-  
tionis augere possit. Sedulo prohibenda omnia  
remedia quæ stimulo aliquo fœdantur; omnia ali-  
menta quæ aut acre habent aut plenius nutriunt.

Calidis remediis favet præjudicata opinio de  
utilitate febris, & viam quidem errori pandit  
male intellecta sententia Parentis. Tunc prodest  
febris cum jam onere suo liberata vasa & sub-  
lata plethora; levis enim insurgens febris ob-  
structiones si alicubi remanent referare potest.  
Quamdiu vero turgent omnia vasa, lethale effec-  
novum febrile momentum vi sanguinis additum.  
Superata ergo causa apoplexiæ sanguineæ ali-  
quoties forsan profuit febris, numquam citius,  
& ipsi morbo adversa est. In apoplexia ex  
exhaustione vires magis convellit.

Vidi



Vidi frictions crurum, ( nec mirum, hæc est enim vis remedii ), augere ruborem faciei, vim & frequentiam pulsus, stertorem. Vidi post purgationem ex foliis fennæ cum sale sedlicensi & nonnullis amaris, tertiam die post insultum propinatam, lethalem intra aliquot horas paroxysmum. Ex ossa nutriente nimis, duobus molibus ovis, & uncis duabus vini hispanici, lethum novi cum jam speraretur sanitas. Omnino cibo per dies aliquot carere & tenuissimo tantum, diluente, refrigerante vesci potu, salus est in hoc morbo; & diu sane omni animali alimento prohibendi sunt ægri.

Plures, non nescio, offendam, audacter tangendo methodum abusu confirmatam, & apoplexiam refrigerantibus sanare, cum paucis aliis, docens; at sic clamant ratio & experientia, quibus nihil probo medico antiquius esse debet. Morbus est e genere inflammatorio, & in senibus vidi primum insultum febris continuæ inflammatoriæ apoplexiæ ingruentis symptomata exhibere, quæ citissime in veram adolevissent apoplexiam nisi summe antiphlogistica methodo obnixus essem.

Cantharides passim in celeberrimis auctoribus commendatas legisti, a celeberrimis medicis applicatas vidisti. Monuerunt equidem BOERHA-

AVIUS



AVIUS & celo practicus commentator caute adhibendas esse nec nisi post largas evacuationes. Illas in hac specie adhibere nolui, nec pœnituit; apoplexiferæ enim potiusquam apoplexifugæ videntur. Dum toties odontalgia correptæ mulieres, muliercularum suasu, pone aures aut ad cervicem cantharides applicari curant, quoties tolerabilis morbus in sævam increvit inflammationem, cum gravi cephalalgia, venæ sectione & refrigerantibus curandam. Virum vidi quem vesicatorium emplastrum cervici appositum ut catharrosum ad dentes decubitus profigaret, in soporem conjecit vix post viginti quatuor horas excutiendum. Minuitur periculum sublata plethora, anne tollitur integre? certe, minuta utcumque plethora, remanet in plethoricis idiosyncrasia quæ facillime impetum & phlogosim denuo excitat. Peripneumonix & pleuritides, quo tempore sanus credebatur æger, ex minimo stimulo acerbe, subito, majori cum periculo, recrudescunt. Vidi anno 1757. in alia urbe fœminam sexagenariam, sanguineam, polyfarcam, apoplexia correptam; post venæ sectionem, enemata, purgantia, aliaque haud prorsus imperite gesta, cervici, sub eadem pharmacopolæ tutela, aponebantur cantharides. Vix, nisi spectator, credidissem, totius inde dorsi



dorsi phlogosis, angina, acuta febris, auctus sopor jam jam discedens, sævi dolores, crudelis anxietas, indefinens jactatio, horrenda mors. Tutius ergo cantharidibus abstinemus in sanguinea ut dicunt apoplexia; & quando revellere volui, post molles fatus semen sinapi fermento inspersum furis applicari jussi; & lætus aliquoties vidi prout tuebant crura liberari caput.

Quam neglectam nimis dicere præsertim intendendo, prophylaxis optima obtinetur, 1. cavendo ne generetur plethora. 2. Stimulos omnes arciendo qui motus adeo nocivos ciere possunt. 3. Impediendo sanguinis raptum ad caput; *anarrupiam* dicunt.

Primam adimplemus indicationem tenui diæta & evacuationibus, Fuscæ aliis dictam diætam narrare minutim superfluum videtur. Hæc prima & summa lex ut cibi sint e genere præsertim vegetabili, potusque sit tenuis, aquosus, acescens; generosiora absint vina aut spirituosæ; sola illa admittenda quæ oligophora, aquæ mixta gratum diureticum potum efficiunt; qualia sunt nonnulla e *Clivensibus* nostris; ea quæ fert in vicinia beati tui secessus pagus *Xvorne*; *Rhenana*, *Mosellana*; illa quorum ferax est *Graves* prope *Burdigalum*; *Aurelianensia* tam belle in acetum mutanda, & alia nonnulla.



Multum quoque refert parca uti cœna, e qua exulent omnino animalia alimenta & vinum, nam ex somno plethora quam arcere intendimus; pessimum est ergo si plethora ex alimentis jam ante somnum congeratur; nec mirum si duplici causa turgidis vasis toties noctu irruant apoplexiæ. Pari causa sedulo a pomeridiano somno cavendum, quo nimis augetur plethora, & cui male sese tradunt ipsi valentes tum ob allatam causam, tum quia somno nocturno additur aut subtrahitur quod utrumque nocet. In genere ergo nocive post prandium dormitur, quod uberrime testantur, gravitas, torpor, rubor faciei, cephalalgia, oris fœtor, ventriculi gravamen quibus inassuetiprehenduntur. Usu assuescimus, nec præsens percipimus damnum, teste vero at non minus nocet, præsertim quoties congestiones ad caput metuuntur. Sub certis tamen circumstantiis hic somnus permitti potest. Seræ potationis damna intelliguntur, & pericula quæ subeunt illi qui vigiliis pressi ex copiosiori cœna cui nihil detrahere volunt, remanente causa, morbum opio fugare conantur; graves vidi casus & pluries eundem hominem sanavi, comatoso sopore per biduum aut triduum detentum ex theriaca turgentibus ventriculo & venis devorata.

tur



tur a longiori somno cavere debent illi quos plethoricos fieri periculofum. At erro fio & vagor.

Certe vidi dum obfequiofi ægri huic tenui diætæ feſe adſtringebant & impeditos apoplexiæ reditus, & fugatas illas capitis ægritudines, quæ per plures anno gravioris morbi prodromi fuerant. Nec inde metuatur animalium virium lapſus; melius ut dixi valent, & omnibus animalibus functionibus parati magis. E contra quoties augetur copia ſanguinis, & inſurgunt nimis vires vitales, turgentque vaſa capitis, toties preſſio cerebri nervorum functiones lædit, & peſſumdantur vires animales & naturales. Virum novi inſultum apoplexiæ ſat gravem paſſum qui quoties meri vini ultra ciathum bibebat, rubefcebat auditumque amittebat & vires. Fœminam vidi pariter tactam cui, ex aſſumpto ſucculentiori jure cum incoctis cancris, deficiebant vires ſedendo neceſſariæ. Longæva oh quantum gens humana, ſi firme crederet hanc viribus optime conſulere diætam quæ morbo magis adverſatur.

Omniſum inſtar eſſe poteſt diætata, modo non urgeat caſus; ubi vero jamjam adolevit morbus & inſtat periculum inepte ſola conſideremus diætata; ſola tunc ſuperèſt anchora venæ ſectio.



Non nescio quæ contra remedium graves adduxerunt viri, recte monentes citius refarciri plethoram venæ sectione fugatam, at nihil hæc omnia urgentem necessitatem tangunt. Vitæ servandus æger venæ sectione, tum cavendum diæta ne resurgat plethora, nec hæsitandum; hic enim, si unquam, periculum in mœra. Unum e multis feligam exemplum.

Sexagenaria, robusta, sanguinea, fœmina, graviter ab anno & ultra vertiginosa erat. Suaferam ut quater saltem quotannis venam tundi, & alvum potu tamarindato duci curaret. Sat religiose aliquoties paruerat; sed paulo diutius dilata venæ sectione, vertiginibus pressa chirurgum monuerat ut triduo elapso accederet sanguinem missurus. At en sana decumbit, mane in lecto rigida invenitur, eo positu quem optimæ sanitatis criterium credunt medici. Somno aucta plethora generata apoplexia. Tota cutis & præsertim faciei horrenda nigra echimosi fœdata erat a sanguine, qui vasa ubique violans naribus copiose quoque effluserat. Morbum occupasset verosimiliter venæ sectio, qua eo minus carere possumus, quo magis morosi ægri diætæ regulas temnunt. Necessario quoque turgente sanguine liberandi sunt hæmatopoiei illi qui tantam copiam sanguinis generant ut, nisi illum de-



demas aut generari omni arte caveas, gravissimis morbis perpetim obnoxii vivunt. Attende vero, sapiens natura optime sese aliquoties gravi onere liberat hæmorrhagias excitando; cave tunc ne turbes.

Venustam virginem viginti & duos annos natam, gravibus morbis ex turgente sanguine obnoxiam, a triennio solis viventem vegetabilibus & aqua, vidi nihilominus toto hoc tempore largissima menstrua, nariumque hæmorrhagias copiosas & frequentes experiri; nec adeo tamen dissipata plethora quin sæpe gravi cephalalgia, & syncope quoties aut motu aut calido aere crescebat vis circulatoria, prehenderetur. Demum ineunte hieme gravissimam experta est pleuritidem, nullis fugandam remediis nisi copiosis & frequentibus venæ sectionibus, largissimisque narium hæmorrhagiis. Tota hieme tenuissime ex oleribus pane & aqua vivit, vigesima quinta martii sæva denuo corripitur pleuritide iisdem fugata auxiliis.

Quænam est vis quæ tantam copiam sanguinis generat? Non ea sane quæ robur in operario constituit, & ex sola staminis densitate pendere videtur; mobilis est enim & laxæ fibræ hæc virgo. Robustus vir tantam sanguinis copiam non congerit; alia ergo roboris & sanguini-



ficationis causa. Differentiam aut nosse, & benigne monstrabis, aut ignota est. In minimis latere videtur. En alia exempla. Vir nobilis nunc quinquagenarius, bello olim addictus, & a multis annis largis hæmorrhoidibus obnoxius, congesta nimia sanguinis quantitate ex otiosa in calidis hypocauftis vita, ludo, & opipara mensa, mense februaryi anno 1752. levem insultum apoplecticum patiebatur & venæ sectione quantum novi curabatur. Anno sequente eodem mense, quindecim libras sanguinis amisit intra biduum. Illi abhinc medicus diætam suasi qualem imperabat morbus tenuem & fere totam vegetabilem; parcam vini quantitatem & oligophori bibit; spiritibus ardentibus, coffe, nicotiana omnino caret; hypocaustra cavet; lubricam alvum habet, periodice largiter fluunt hæmorrhoides; activam ducit vitam; nondum tamen obtinui ut integrum biennium hæmorrhagia abesset. Quænam, iterum quæso, tantæ sanguificationis causa? Plures scio homines, scæminas, pueros quibus eadem temperies; anne minor expiratio? Fœminam novi quæ a pluribus annis sanguinem copiose hæmorrhoidibus fundebat; innumera experta erat remedia, unicum memini & memorabile, largas doses croci adstringentis martis jussu celeberrimorum medicorum mon-  
pelien-



pelienſium. Sancte juravit quod acuratiffime inſtituto calculo ope vaſis menſurati, unico anno 412 libras ſanguinis amiſerit; vivebat tamen, edebat, in cubiculo ambulabat. Numquam ut reſcivi plane ceſſarunt hæmorrhoides; etiam nunc ſuperſtes remanet. Periculo non caret illa quantitas ſanguinis; quomodo arceri poteſt? Ut ignota cauſa, monſtravit tamen uſus multum prodeſſe ſi omnia alimenta caveantur quæ multum nutriunt, aut ſtimulant; ſi rubra, generoſa ſe-moveantur vina, ſed pauca vegetantia ſumuntur alimenta, acidulata bibitur aqua, placide ſed indefinenter movetur corpus, aceſcentibus purgantibus ſubinde evacuatur, nitroſiſque ducuntur urinæ. In ſuperius excitata virgine vis hæmatopoietica multum imminuta videtur, & quæ antea de calore continuo conquerebatur frigus jamjam timet.

Quinam uſus venæ ſectionis? Parvus ſane. Quomodo demptæ aliquot ſanguinis uncix tollent hanc plethoram quæ non tollitur dum libra ſanguinis quotidie evacuatur; aut quomodo ſedabunt hæmorrhagiam haud ſedandam niſi plures libræ evacuentur? Anne proderit revellendo a vaſis e quibus effluit ſanguis? Sed num revelat pendet ſub iudice, nec credo, ratione, experientia, & auctoritate ductus. At concedatur,



tur, revellat; sic ergo hæmorrhagiam sistit, plethoram vero relinquit; sanationem naturalem impedit, non sanat, ergo nocet. Sed sæpius repetita hæmorrhagiarum necessitatem arceret. Concedo, si plures libras sanguinis ante tempus hæmorrhagiæ demeres, hanc certe præpedires; quid refert vero num natura num arte evacuetur? Frequens præterea docuit observatio, nec ratio latet, hanc bene sustineri stillatoriam sanguinis evacuationem plurimum librarum, dum dimidia quantitas e secta vena fluens necem attulisset. Fateor tamen dum concepto impetu sponte fluens sanguis longe ultra æquos terminos fluit, nec stat semper fugata plethora, sed inanitionem generat, prodesset sæpe hæmorrhagiam venæ sectionibus præpedire. Hoc vero subest periculum, ne scilicet in desuetudinem abeant spontaneæ hæmorrhagiæ, & dilatis quondam venæ sectionibus, gravis aliquis morbus vitam subripiat. Quamdiu enim remanet hæmorrhagiarum consuetudo, suæ prospicit conservationi natura, & nocivam eliminat plethoram. Quando vero cura plethoræ arti committitur periculum est semper ne culpa aut ægri aut medici peccetur, & falsa sanitatis spe delusi imminens periculum nimis temnant. Novi qui gravissimis obnoxii hæmorrhagiis, felicissimam senectutem



trahunt ; plures e contra plethorici quorum fa-  
 lus venæ sectioni credebatur , proprio obruti  
 sanguine breve & infelix duxerunt ævum . Tu-  
 tius est ergo venæ sectione abstinere , nisi aliquis  
 gravis morbus cogat , pro iis quos gravante far-  
 cina liberant spontaneæ evacuationes . Tunc ve-  
 ro bene adhibetur quando magna copia sanguinis  
 generatur & nullam hæmorrhagiam suscitatur na-  
 tura , sed ad varias partes congestus sanguis apo-  
 plexiam , anginam , catharrum suffocativum , alios  
 vel gravissimos morbos sæpe minatur . Nec ma-  
 le cum ægris suis ageret medicus si naturam  
 docere posset sanguinem quoties abundat nari-  
 bus expellere . Subest enim sæpe incognita ple-  
 thora , & primum quo se prodest symptoma haud  
 semel lethale fuit . Huc forsan scarificationes na-  
 rium præcis ægyptiis familiares .

His, fuscè nimis , de plethora arcenda disputa-  
 tis , inquirendum quonam modo aliæ adimplen-  
 dæ prophylaxis leges . Brevis ero , plethoram  
 enim cavendo impeditur nimius humorum mo-  
 tus , & illorum ad caput raptus . Pauca igitur  
 addenda remanent .

Et I. Nimius impeditur motus , accurate ab  
 omni acri sub alimenti aut medelæ nomine in-  
 gesti , ab omni potu actu calide hausti , quæ ca-  
 lorem & motum momentanee augent , severe ab-  
 stinen-



stinendo ; 2. Calidiorē fugiendo aerem & inquinatum ; mire enim humorum rarefactionem , & motum auget ; ex calidioris hypocaufti abusu pluries vidi recidivas apoplexias . Qui vertiginibus obnoxii sunt testabuntur quantum nocent cubicula calidiora , & vertiginosi fiunt ipsi sanissimi homines si paulo diutius illis immorantur ; communis est autem vertiginibus , apoplexiæ , lethargo , caro , aliisque soporosis affectibus origo , nec nisi gradu differunt ; eadem ergo juvant & nocent . Attendendum præterea hanc cautelam magni esse ad arcendam anarropiam , quod tertia est indicatio ; nam in cubiculo calidiori caput præ ceteris partibus incalescit , quia lege physica calidior est aer qui caput lambit quam qui pedes ambit , & læditur præsertim respiratio ; jam vero dixi ex pleno pulmone repleri caput . Magni refert imprimis , in magna & frigidiori camera dormire , apertis cortinis . Indefinenter enim repetam , soporosis affectibus insensus somnus ; ergo adhibenda diligentia ne nocivæ aliæ causæ cum somno concurrant . 3. Sedulo evitandi nimii motus qui totam massam sanguineam exagitant .

Raptus humorum ad caput caverur & antecedentibus monitis parendo , & sequentibus ; calidos pedes servando ; insolationem vitando ; &

omnes



omnes rivas qui longam inspirationem cogendo sanguinem ad caput congerunt; omnibus narcoticis, spirituosis, cephalicis valedicendo, quæ omnia humores supra trudent; alvum demum laxam servando; sic enim & rivas præcaventur periculosi, & plethora, calor, febris bene impediuntur. Multum hic prodesse vidi cristallos tartari, quorum longus & quotidianus usus vix enumeranda bona præstat, & quos tutissimum sanguinæ, immo ut loqui amant biliosæ apoplexiæ, prophylacticum esse remedium multiplex mihi monstravit experientia. Duo sunt quoque pathemata quæ apoplexiam sæpe generarunt sedulo cavenda, ira nimirum & profusum gaudium. Rara hæc beatitudo quæ subito gaudio necat; frequentissimæ vero irascendi occasiones, & irascibiles sæpe apoplectici; sedulo ergo sibi prospiciant; turgent medicorum libri observationibus quæ narrant apoplexiam iram excipientem.

Familiaris est doctis morbus apoplexia, & tactis quondam, princeps est prophylaxis studiis paulo gravioribus omnino valedicere; ex meditatione enim congestio sanguinis ad caput, apoplexia. Nullus est litteratus qui gravia & minantia capiplenia haud expertus sit quæ pulchre fugantur si misso protinus omni studio, nudo



dato capite, ne loquentes quidem, placidissime-  
que sedentes omnino quiescant. Multi est illis  
caput leviter tegere, calida fugere hypocausta,  
tenui uti diætâ, abstemiosque vivere. Nec re-  
ticendum potum coffe quo capi plenâ illa aliquo-  
ties fugant infidum esse remedium aptiusque ge-  
nerandæ quam fugandæ apoplexiæ.

Morbum vidi in octogenariis; tunc nisi urgere-  
ret admodum necessitas, & cum urget lethalis  
est eventus, venæ sectionem cavi, nam aliquo-  
ties vix refarcienda damna infert; sed efficaces  
deprehendi purgationes & diætâ. Recens præ-  
buit exemplum vir octoginta & quatuor annos  
natus, negotiosæ quondam vitæ, nunc sedenta-  
riæ addictus & lautæ diætæ. Nocturno insultum  
apoplecticum qui mentis levem obnubilationem  
& linguæ imperfectam paralyfim relinquebat ex-  
periebatur, enemata permittere noluit; sed pro-  
ut tamarindi, manna, cremor tartari, succus  
citri intestina emungebant, mentis & linguæ  
functiones restituebantur, pristinaque redibat va-  
letudo.

Post speciem quam dico, vidi aliquoties re-  
manere tussim nocivam admodum, dum humo-  
res ad caput congerit; specialem non postulat  
medelam, sed vegetabili diætæ optime cedit;  
prodesse vidi spiritum nitri molli potu dilutum.



Sedulo ab omnibus narcoticis cavendum, male in hoc casu virosi.

Apoplexiæ sanguinæ nonnullos alios affines morbos, priusquam ad alias descendam species, paucis, & observationibus narrabo.

Primus nec rarus adeo, nec tamen huc usque descriptus, inde sæpe ignotus, male tractatus & lethalis, causam habet lentam & levem obstructionem vasorum cerebri; languor inde, gravitas, lassitudo, musculorum enim motores deficient spiritus; ventriculi labes, fastidium, nausea ex arcto illo consensu ventriculi & capitis, quo difficile est sæpe judicare num ex ventriculo aut cerebro nausæ, dum plethora cerebri sordes ventriculi sæpe mentiatur. Erumpit morbus in vomitus cum pulsu sæpe inordinato, debilitate summa; cacochilias taxant, emesim, purgantia, stomachica adhibent; spirituosas vires augere, vesicatoriis revellere intendunt; omnia in pejus; accedit lethargus, occumbit æger. Plures vidi: larga venæ sectione, pediluviiis, potu tamarindato, nitroso, diluente, laxante, enematibus mollissimis vomitus compescui, nausæas fugavi, morbum adulescere impedivi, sanavi. Plures alia methodo orco traditos novi. Hic haud ita pridem vir hoc morbo prehensus alte lethargicus obiit cui, quonam scopo? anne for-



forſan emeſim compeſcendi? Papaveracea propinata fuerant.

Affinis eſt quoque morbus quo plures in ſenio conſeſto occumbunt; poſt vertiginem, anxietatem, debilitatem corripuntur protinus copioſis adeo vomitibus ut quantitas ejectionum fidem pene ſuperet. Durant vomitus per aliquot horas: ſedatis, paulo melius videtur æger, at ſumma remanet debilitas & aliquot vix lapſis horis aut lethalis accedit lethargus, aut, poſt levem diſpnoeam, ſat placide ſyncoptici diem ſupremum obeunt.

Alium morbum duo nuperrimi caſus delineabunt. Vir quadragenarius, bilioſus, ſanus, lætæ & activæ diu deditus vitæ, jam ſedentarius, tædio & curis nonnullis conſeſtus, paulo forſan pleniori victu utens, in ſoporem fere continuum abeunte autumno incidit, ita ut vix loquentes audiret, ægre reſponderet, verba nonnulla delirata ſubinde eloqueretur victus aut ſopore, aut læviſſimâ cephalalgia quæ cum ſopore alternabat, omnia, ipſamque vitam ſaſtidiens, macilentus, flavus, naſeoſus, vertiginofus, debilis. Suavi r. victum totum vegetabilem, & pro potu aquam aut limonatum, vino integre ſepoſiſito, largiſſimam præſertim fruſtuum horæorum & imprimis uvarum copiam, 2. *cruriluvia tepida*



da semel aut bis de die, 3. quotidie unc. XII. ptisanæ ex gramine, tamarindis & nitro. Duodecim lapsis diebus bene valebat,

Me consulebant agnati nobilis centurionis fere quinquagenarii, viri robusti, sed vigiliis intra pictas chartas dediti, qui in tristitiam, soporem sine somno & memoriæ lapsum inciderat, ita ut sedens, accumbens, colloquens; ambulans obdormisceret, noctes sævas & anxias traheret, recentiorum oblivisceretur gestorum; hilaris antea ne verbum jam tota die proferret, Quænam causa morbi? Diathesis phlogistica? Quænam medela? Non sane juscula viperina & vesicatoria quæ alienigenus medicus suaserat; sed imperavi post v. s. a quatuor libras seri lactis defœcatissimi quotidie devorandas cum totidem unciis mellis, uncia una rob sambuci & dragmis duabus cremoris tartari. b diætam totam vegetabilem præsertim ex oleribus chiconaceis, fructibus horæis, uvis. c severam prohibitionem omnis potus fermentati solo excepto aceto, at largum usum limonati, aquæ, musti. d vespera larga cruriluvia tepida. Morosus æger imperfecte omnibus obtemperavit, nec carni, nec vino omnino valedicere voluit, nec ferum lactis, mel, rob devoravit balnea tamen tepida adhibuit, cremorem tartari, & apo-

sema-



semata chicoracea ; inde melior rerum facies , excussus sopor , reditus somni , minuta tristitia , at omnibus mox missis præceptis , integre nondum desit morbus .

Huc referendi Epimenidei illi somni quos narrant fidi testes ; & patet curatio quoties non trahunt originem ex aliquo alio morbo . Male illos irritant stimulantibus remediis , inanitione & motuum compressione sanandos . Dum enim plus affluit quam refluit sanguinis , turgent partes . Inde ergo prospiciendum ut minuantur affluxus & plethora , nam quoties tollitur , faciliorem esse motum in venis innumeræ probant observationes .

Male nati homines nonnulli vasaque cerebri aut capitis molliora nacti , fabrica sua continuo morbis capitis gravissimis exponuntur , & mitioribus tantum non continuo opprimuntur . Artem superat curatio , & hoc unicum solatium , genus vitæ quod depressas vires vitales servet . Debiles vivere coguntur ; ex robore mors .

Quoties apoplexia , cujus aliæ dicendæ species , oritur in corpore nulla plethora aut phlogosi vitioso , sed quod cachecticum humoribus turget crudis , aquosis , viscidis , rarius ad venæ sectionem confugiendum , at colis evacuandum , simulque pro viribus revellendum . Nec illa su-



pra laudata feligenda sunt remedia quæ omni acritate carent; non tam facile enim hic augetur motus, nec bene cedunt torpida hæc corpora mollibus remediis. Salia amara, fenne, rheum, diagridium, jalappæ radicem, acriora enemata scopo purgandi adhibeo; & postquam larga diarhea copiam humorum subduxit, alias secretiones sollicitare licet, modo simul revellentia adhibeantur. Sed paulo fortiores stimulos aliquoties adhibere debemus; nam talis est sæpe torpor cerebri, ut jam jam remotis causis infarctus, vix tamen ac ne vix sese liberare possit sine auxiliatricibus manibus. Huc sæpe tam belle profuerunt cantharides, quæ stimulant simul & revellunt, profusosque sæpe excitant sudores quibus plus quam semel sublatum vidi morbum, modo sat diu fluere permittantur; hæc est enim vis vesicatoriorum, totius cutis functiones expirantes resuscitant licet si unæ parti applicentur. Nosti ruricolos, in nonnullis locis, cantharidibus substituere paludensem ranunculum venenosam plantam; at caute agendum. Pollici applicatus febrem quidem intermittentem fugavit, sed in longe graviores morbos nimia irritatione conjecit. Centurionem novi pedemontanum qui, pollice ad os usque cum immanibus doloribus destructo, sævum ulcus per plures men-



ses acerbe doluit. Auriga, intra aliquot horas, totam cutim brachii in immensam vesicam elatam habuit, cum febre, delirio, phrenitide, specie rabiei, gangræna, vixque brachium servare potuit peritissimus chirurgus. Tutiores ergo cantharides.

Fœmina septuagenaria, laxi habitus apoplexia corripiebatur quæ integram paralyfim linguæ, dimidiæ faciei, brachii & cruris sinistri lateris relinquebat. Largiter evacuatis primis viis, apponebantur cantharides, & potu congruo & diaphoreticis fixis excitabantur sudores, qui novem solidas dies permixti immutato fere positu, immutatique linteis, ægram dimiserunt omni paralyfi prorsus liberam, sanitate, robore, acieque oculorum jamdiu ignotis fruentem, & specillos dimittere potuit quibus jamdudum utebatur.

Fuse alia auxilia hac ducenda dixerunt alii. Duobus nititur prophylaxis, diætæ & remediis. Lex est primaria diætæ tenuem esse at non mollem, sed stimulis conditam qui torpidas sollicitent fibras, immemoraque sui officii cola excitent. Sua laus modicæ vini diureticae dosi. Laxantes omnes potus fugiantur. Continuum sit exercitium; totum corpus quotidie fricetur. Alvus subinde ducatur aut pulvere cornachino,  
aut



aut rheo. Vinum adhibeatur medicatum ex amaris & diureticis, quod, multis præscriptum, juvare semper vidi.

Fonticulos laudant plures in hac specie, laudo ego si primus insultus morbi alicui diuturno fluxi jam suppresso successit; tunc enim fonticulus mananti parti applicatus, & reditus apoplexiæ impedit & alios ex eodem fonte scaturientes morbos sanavit; alias parum boni attulit; nec temnendi graves auctores, qui damnosum esse sæpe remedium fonticulos monuerunt; fidem facit observatio.

Veneranda, sexagenaria, obesa fœmina, sæva lippitudine a pluribus annis vexata, consulebat mense Julii ann. 1758. alienigenum chirurgum, qui attente observatos oculos nullo vitio fœdatos invenit, & bona erat illorum acies. Lippitudinem vero respiciens fonticulum suavit; affentiebantur medicus alienigenus, medicus & chirurgus ordinarii; secatur in brachio sinistro; sævi mox circum dolores, inflammationes, lychnes, herpes qui cito totum fœdabant corpus omni morbo cutaneo usque plane liberum; sævior lippitudo. Mense decembris ejusdem anni in auxilium primum vocatus, ut de amisso penne visu restituendo deliberaretur, utrumque oculum cataracta obnubilatum inveni.



Quænam morbi ætiologia? anne ex irritata cute inhibita transpiratio, indeque vitia cutis, & ex refluxo acriori humore ad ægram, & vicinas partes aucta lippitudo, natæ suffusiones. Clauso primo cauterio musculosæ nimis parti appposito, secto alio, integram enim suppressionem permittere noluit ægra, apositis saturninis brachio, mitibus adhibitis purgantibus, ex mercurio dulci, & sulphure aurato, utili miscela quæ prodest quoties viscosi solvendi humores, sanabatur cutis. Remanent suffusiones mox deprimendæ, jamdiuque, si res mihi plene credita, extractæ. Gravia sunt enim argumenta quæ extractionem depressioni anteponendam demonstrant, & gratias debent boni omnes Cl. DAVIEL, qui numerosis observationibus illius utilitatem oculis subjecit, quam plures alii jam subolfecerant; ut illos enim taceam quos adduxit Cl. JUSSIEU in dissertatione de nova methodo, extractionem lapsæ sæculo adhibuerunt *Robus* MATHIOLUS chirurgus italicus, BURRHUS, LAMSWERDE, & initio hujus sæculi circulator germanus. Exempla alia excitat MERRY in actis academiæ ann. 1707. Unum est notatu dignissimum, dum monstrans viam Naturæ, opacum cristalinum sponte trahit in anteriorem oculi cameram, e qua facillime a cel. SANTY-

VESIO



YESIO educebatur. Sed in nostro casu, Chirurgus cui operatio demandatur, novam methodum nescit, & ipsam moratur depressionem, me invito, nescio quam expectans maturitatem famosam quondam, nunc vero ab optimis viris temptam. Maturus est enim & operationi aptissimus sanus cristallinus; opacitas nihil huic aptitudini detrahit, nisi simul quod aliquoties accidit mollescat, immo liquecat; sed quoties primam soliditatem conservat toties maturus est; & simul ac fugandæ remediis cataractæ discessit spes, tuto institui potest operatio, nec frustra, religiose per plures annos, toleranda coecitas malo sane consilio, metus est enim ne diu in oculo retentus inutilis, & molestus cristallinus cieat inflammationes, adhæsiones, supurationes, aliosve morbos, qui dilatam curationem æternum impossibilem reddent; sicque dum futilis expectatur maturitas numquam recuperanda elabitur occasio. Exemplum habeo alibi quondam narranda.

Species est apoplexiæ ex obesitate solventissimis præcavenda remediis, adulta enim non curatur. Diu sæpe durant præfagientia symptomata, quæ dilucide exposuit Ill. *Van. SWIETEN.*

Sopore frequenter præmebatur ante tres annos foemina quinquaginta quatuor annos nata, obe-



sa quidem at omni alio quantum detegere potui vitio carens, torpore linguæ, brachii, cruris, vertigine, oculorum obnubilatione sæpe prehendebatur. Largo usu saponis veneti, & oximellis scillitici, diætæque tenui, macilenta, leniter stimulante & modico exercitio minuebatur obesitas, omnia symptomata paulatim recedebant, beneque deinceps valuit.

Astate anni 1759 in vicina urbe, fœminam vidi quadraginta & aliquot annos natam, pinguedine propemodum sepultam, jamdiu pigram, tardam, memoriæ lapsum querentem, ab aliquot vero mensibus continuo fere somno deditam, omni fere motui imparem, omni carentem memoria, anxiam, morosam, fatuam demum. Sufferant alii medici balneum frigidum & roborantia. Quæ solverent potentissime adhibenda credidi. Calores tunc ardentissimi & quibus valde angebatur vetabant saponem; sed suavis fui, ut adhiberet oximel scilliticum cum sale neutro & tenuissima solvente diætæ. Post aliquot dies mox solutum fore somnum spes affulgebat, sed jam septima die illa remedia respuebat ægra, & alia adhibuit: celeriter increvit in lethargum & apoplexiam morbus.

Sive spiritus animales fecerni impediuntur & distribui, sive, exhaustis viribus, deficient, ori-  
-tur



tur apoplexia, qui morbus est ille in quo nervorum cessat sensus & ex sensus defectu, voluntaria actio, nam omnis nervorum actio certe non abolita est, sed illa tantum quæ sensibus infervit; supersunt enim omnes motus quos non gerit, *vitales* dixit Ichola & *naturales*. Ex sensuum vero obtusione cessat nutus animæ in corpus, cessant quos regit motus. Integra remanet circulatio, cujus causæ extra animæ provincias stant; læditur aliquoties respiratio tum ob catharrum suffocativum, qui sæpe apoplexiam comitatur, tum quia, partim quidem mechanice necessaria est, partim vero animæ imperio subditur. Anne huc revocanda sagax hypothesis, quam nec sine experientiis, decimus labitur annus, proposuit amicus noster cel. ZIMMERMANNUS, qui nervum spiritibus sentire, solidorum innata vi movere, suspicatus est? Ut ut sit, intelligitur apoplexia ex defectu spirituum; talis est illa, quæ in longis morbis subito necat, in morbis illis præsertim, quæ sanguinem penitus solvunt, in ictero exempli gratia, quod aliquoties vidi. Illa quæ abripit aliquoties pharmacophilos, qui continua medela mortem arcessunt quam effugere conantur. Illa demum quæ senilem marasimum excipit, aut quos longæ fregerunt curæ occidit.



Nova hic adhibenda medela; crassis humorum & copia restituendæ; motus vitalis languens excitandus. Roborantibus itaque, nutrientibus & sollicita evacuantium evitacione nititur curatio. Præcavetur alimentis pleni nutrimenti, eupeptis tamen, sæpe parca dosi assumptis.

Species est in qua debilitatem genuerunt abdominis obstructions quibus læsæ digestiones, & impedita nutritio. Hanc vidi in fœminis, quæ primum senectutis limen nondum tetigerant. Prudenti manu sustinendæ vires, solvenda impacta. Pulchre profunt gummi & amaræ plantæ.

Bene inter hysteriæ larvas apoplexiam numeravit SIDENHAMIUS; vidi sæpe. Leyis est plerumque morbus modo ex errore medentis non increseat. Sanatur quotidie frictionibus totius corporis, epithematibus aromaticis, potu aliquo roborante & antihysterico; præcavetur roborantibus & exercitio; excitatur sæpissime pathematibus. Anne ergo omni caret periculo? Nequaquam. Mors est enim hysterica, ut ut plures huic morbo irrideant; nobile habet exemplum tot bonorum ferax HAENIUS, duo vidi.

Generosa, venusta, vicennalis virgo, benignissimas, ut audivi, variolas ante aliquot menses facillime in alia urbe superaverat, pluriesque

postea



postea purgata fuerat. Ab illo tempore hystericos morbos experta erat, & præsertim a duobus circiter mensibus graves cephalalgias conquerebatur, moestaque erat. Dissito perito medico, qui primum curaverat morbum, empirico credebatur quamdam olim famam consequuto, qui morbum variis evacuans, & refrigerantibus remediis sanare sperabat; at ineptum tentamen, infelix successus. Omnia ruebant in pejus; demum cum immani cephalalgia loquelam subito amisit, dolorem digito monstrans. Bihorio ante mortem, nec citius illam vidi, rubra erat facies, intermittens, irregularis, minimus, pessimus pulsus, anxietas summa, subito obiit. Caput secari voluerunt Parentes; adfui simplex testis; ne minimum inveniebatur vitium. An apertum pectus aliquid morbidi obtulisset? contra forsan sequens observatio.

Eodem anno in octodecenniali virgine fluentia menstrua terrore supprimebantur; hisque suppressis in frequentes incidebat lypothimias; quas fugare variis tentabat Chirurgus tunc temporis hic degens. Demum post innumeras ægritudinis larvas, per sex aut septem menses ludentes, profundo sopore prehendebatur, quem frustra excutere satagebant. Cassis omnibus ad me tertia somni die confugiebant Parentes; dormientem

inve-



inveni, nec tumultu aut ullo irritationis genere excitandam. Quod in similibus casibus soleo, integram suasi quietem. Post duodecim horas evigilabat sana, ni admodum debilis. Accurate perpendens omnia, nullum locale vitium, nullam inveniens febrim, roborantia suasi antihystericis nupta. Succedebant ad vota, sed ex novo terrore, post aliquot dies, sævas adeo anxietates cum immani cephalalgia, nauseis continuis, horrendis artuum convulsionibus experiebatur, ut tristiora videre raro contigerit. Ferociam morbi opii dosi unica lenivi primum, tum, jam dictis remediis sensim vici; at integræ sanationis parvam spem relinquebant, longo morbo, & præsertim remediis, fractæ vires. Dum offam comedit accedit anxietas, intra minutum moritur. Cadaver aperire, pecunia videti, permittunt parentes. Cor paulo forsitan æquo majus, mollius, pallidiusque inveni; an ex frequentibus phlebotomiis? Cætera, nullum cadaver omni labe magis vacuum vidi. Quis generationem mortis in *Haeniano* & hisce casibus exponet? Anne ex solo spirituum defectu nascitur? Sed diu auram trahunt debiliores longe quam erant ægræ nostræ aliquot dies ante mortem? Anne mors ex paralyti aut convulsione cordis? Sane facillime & sæpissime resolvuntur, & convel-



Iuntur omnes hystericarum muscoli; quidni Cor? Sic ergo credam donec boni meliora doceant. Obscura plura fateor habet adhuc morborum nervorum theoria, sensim tamen lux affulget, & spes est omnes fugatas fore caligines dissertatione de hystericis & hypocondriacis pathematibus, quam prelo parat pernecessarius meus ZIMMERMANNUS.

Vix creditur quantum terror dejicit vires debilium; e pluribus unum dicam exemplum. Fœmina gravida hæmorrhagias experiebatur uterinas quas fauste compeſcebam; & vicinus partus salutis spem sat certam promittebat; bonæ enim remanebant vires, & jam a pluribus diebus omnis aberat fluor. Gravi percussa terrore deficit, excitata delirat integre dejectis viribus quas, victu & quæ morbus ferebat remediis, paululum erigebam; crastina die nova at parca & qualem plures adhuc ante terrorem impune tulisset accedit hæmorrhagia; aberam, intra horam, æternum desideranda amica, supremum diem obit. Et quidni ex nervis mors? Excipit ligaturas minimi rami nervosi, lenique irritatione nudi nervi tota turbatur oeconomia animalis; sed pluribus morbis gravius affici possunt nervi quam ligatura, aut leni stimulo quo utitur observator. Jam ad paralyſim deveniendum; quam vero,



in recenti libro fumigationem, tanquam apoplexiæ prophylaxim commendatam legi breviter perpendere juvabit, ne gravis fidem obtineat error.

Hic fumus, quem anno ni fallor 1560. suavis Belgæ ex *Florida* reducis, in Europa primus adhibuit, & commendavit Johannes NICOTIUS Gallus *Uliffiponæ* Legatus, sale pollet acri, & sulphure narcotico oleo irretito. Sale, juvante calore, stimulantur glandulæ salivares, elicitur saliva, sollicitatur ventriculus, inde inassuetis vomitus: sollicitantur intestina, inde sæpe novitiis profusa diarhea, & expertis, quam adeo laudant, quotidiana dejectio. Amaritudine & vilaxante tæniæ, aliisque vermibus forsan infensus; certa enim desiderantur exempla.

Ex eodem principio quadruplex manat vitium.  
 1. expuitio salivæ & omnes quos generat morbi; nam attende, fumi suctores dum fumigant copiose salivantes, spuerè reliqua diè non videbis; nec mirum, organum enim stimulaturn, ablato stimulo cessat, indeque sæpe oris siccitas, quæ nimiam liquidi ingurgitationem cogit. 2. Ex frequentiori laceffione franguntur vires ventriculi, & intestinorum, dejicitur appetitus, exhauriuntur vires, segnescit natura, nec nisi stimula agit; 3. Acrimonia humoribus impertitur.



4. Si fumigatio nimis potare illos cogit sōns novus morborum manat, varius pro vario potu, sempre funestus.

Principio narcotico augetur ventriculi labes, generantur capiplenium, cephalalgia, vertigo, anxietas, lethargus, apoplexia, omnes demum opii effectus, quod jam monuit magnus BACON VERULAMIUS: *Tobacco cujus usus nostro invaluit sæculo, & hyosciami quoddam genus, & caput manifesto turbat quemadmodum opiata.*

Patet ergo quam erronee immo damnose scopo arcendi apoplexiam hic fumus adhibeatur. Plures novi, de pluribus legi, & audivi qui apoplexia tacti, quo tempore fumum nicotianæ prophylactice fugebant, vim remedii apoplexiferam bene probarunt. Fumiphilum qui senuerit non memini; luget DE HEIDE eruditum medicum quem in flore ætatis necavit nimius usus tabaci; omnesque bene intelliguntur morbi quos post fumisuctionem & ex fumisuctione graves narrant auctores. Apoplexiam HELMONTIUS, TULPIUS, *Uratislavienfes*, pluresque alii. Epilepsiam *Ephemerides C. N.* Vitia gravissima pectoris de HEIDE, & TULPIUS; Iterum Pet. BORELLI; graves in genere morbos hepatis Van SWIETEN; arthritidem WERLHOFIUS; tabem tu ipse; alios alii. Etiam

nunc



nunc video hominem sævissima cruciatum cephalalgia, & adurente oris siccitate post abusum fumi nicotianæ scopo odontalgiam sanandi, quam, casto hoc remedio, refrigerantibus, meo suasu, fugavit.

Caret ne ergo omni usu? Certe copia cuique ubique nocet, nec contra probant exempla nonnulla in quibus pœna scelus lento pede sequuta est; usu enim gravioribus assuescimus venenis, non subito, at lente, pereunte machina.

Moderatus usus in laxis, & udis corporibus, si longa & tenui ducitur fistula, cui adhærere oleum sulphure narcotico onustum docuit experientia, glandulas salivares, & pigram peristalsim salino stimulo utiliter aliquoties movit; sic que nonnullos morbos ex redundante sero sanasse fertur. Laxissimis glandulis salivaribus, addito stimulo, tonum reddere potuit, ut laxum ventriculum aliquoties restituunt acria; & sic habitualem salivationem compescere potuit. Cum aere ad bronchia delatus, quos congestus mucus astmaticos reddebat, sublevare potuit. Obefis profuisse etiam nunc lego; anne forsan appetitum tollendo? anne languidas fibras excitando? Colicas vehementes, teste HOFMANNO, cito aliquoties sanavit; an sopiendo, an purgando ignorare reliquit auctor.

Caute



Caute ergo adhibitum hunc fumum, ut remedium aliquoties profuisse negari ægre potest. Quotidianus usus, tantum non semper, damnosus est.

Nec suis caret vitiis pulvis naribus indefinenter pessimo more applicatus. Nervos enim irritat nec alia pollet virtute; quid boni vero ex nervorum irritatione in sano corpore oriatur non novi. Robustissimi si abutantur vertiginosi fiunt. Debiles vidi non modo vertiginosos; sed anxios & plane deficientes. Innumeræ dantur mobiles scæminæ, quas granum unicum nicotianæ jejune inspiratum, in gravem conficit paroxysmum histericum. Demum ex repetita irritatione non modo amittitur olfactus, sed generalis nascitur torpor vix excutiendus? Anne ut vulgo ferunt memoriam debilitat? suadent nuperimæ observationes. Nares inquam emungit. Sic sane sub certis circumstantiis, alias enim stringit. Nec valde laudandus hic narium fluxus, quem morbidum potius dicas, quo carent sanissimi, scædantur infirmi. Anne adversa irritatione aliquoties in odontalgia profuit? Fiduciam majorem in hoc morbo mereri videtur masticatio, quæ largam feri evacuationem ciet & sic obesum quondam, narrante P. BORELLI, sanavit.



De paralyfi quæ toties comitatur, sequitur, præcedit apoplexiam, pauca monenda habeo. Facilis ætiologia. Demonstratur, ut jam monui, in Physiologicis, parte encephali compressa, eam corporis partem motu sensuque privari quæ nervos habet a parte cerebri compressa. Pressio medullæ motu itidem privat partem corporis, quæ ab illa ortos nervos habet.

Notum est pariter serum stagnare in partibus compressis; magis enim afferunt arteriæ, quam auferunt venæ. Ergo post apoplexiam, aut ante, diu enim stare causam antequam erumpat morbus dixi, aut simul, dum ex compresso cerebro læduntur sensus, aut muscoli faciei, serum quod in ventriculis resorptionis defectu stagnat, ad basim cerebri, aut ad spinam medullarem decurrit, & pro parte quam comprimit varios impedit motus.

Sic patet quid sit totalis quid partialis paralyfis; cur modo organa sensuum, modo muscoli tangantur, suisque dejiciantur functionibus. Læduntur artus quoties spinalis medulla comprimatur, & comprimi potest humore e cerebro depluente, infarctu proprio, & vertebrarum fractura, luxatione, aut alio osseo morbo. Consulebar nuperrime pro puella quæ, cum ulcere dorsi, paralyfi femorum, & crurum laborat;

omni



omni motu voluntario plane carent, motibus convulsivis aliquoties agitantur. Ægram non vidi; at certe affirmare audebam ulcus & paralytim proles esse vitii vertebrarum, quo comprimitur medulla. Si ex aliqua causa, plures sunt possibiles, accidit irritatio, tunc motus convulsivi. Suaferat alius medicus balneum in vinaceis; monui unicam esse spem in manu chirurgi.

Frequens est morbus illa paralytis quæ oritur ex vitio spinæ; nemo nescit observationem GALENI de paralyti digitorum ob cervicem pallio madido involutam. Vidi anno 1750. juvenem quatuordecennalem, in lecto jacentem, a mento infra prorsus immobilem, solumque caput, linguam & oculos movere potentem, vera demum correptum paraplegia a biennio. Causam sic narrabant: vegetus in spelunca arenam fodiebat; massa terræ concretæ sponte ex alta spelunca cadens in cervicem impingebat; syncopticus protinus concidit, nec unquam ab illo tempore membrorum compos fuit. Nullam tamen invenerat luxationem aut fracturam chirurgus. Tegulator anno 1758. ex casu cujus vim præcipuam sustinuerunt renes, protinus in paralytim vesicæ, femorum & crurum incidebat, sine tamen fractura aut luxatione vertebrarum. Plu-



res alias similes habeo observationes quas narrare superfluum.

Pulchre cæterum prima oculis subjicit theoriam morborum convulsivorum & paralyticorum, dum, ut in physiologicis assumunt, ex irritata cerebri aut medullæ parte convulsiones, ex eadem compressa paralyfim oriri, invicte demonstret.

Morbus est ergo plerumque paralyfis idem cum apoplexia, eandemque suadet prophylaxim & curationem. Nullum est punctum in nervis in quo sedere nequeat caussa paralyseos partium quarum nervi ex hoc puncto prodeunt; & omne punctum nervosum respici potest tanquam cerebrum quoad partes inferiores.

Quot inde paralyfes? Quot morbi paralytoidei? Quot morbi male, dum de caussa non somniatur quidem, curati? Bene intelligantur debilitates illæ fere paralyticæ quæ sæpe in acutis & chronicis observantur.

Curatio est quam dixi. Hoc nitendum ut, motu arteriis minuto, resorptio & motus venis succedant, sicque humores, quibus damnose surgent partes, evacuentur. Omnes enim stagnationes aut in cellulosa sedere aut in venis vix dubitabit attente meditatus structuram vasorum. Totum enim systema arteriosum tubus  
est



est divergens, cujus diameter quo magis progreditur eo magis ampliatur. Venosum e contra, tubus est convergens, cujus diameter eundo contrahitur.

Cellulosum rete vas est pene passivum & propria vi carens, in quo depositi humores æternum stagnerent ni venosa resorptione educerentur, aut proprio coacti pondere, vel vicinorum impulsu sensim reperent. Facilis ergo motus in arteriis, difficilis multiplici de causa in venis, nullus pene in cellulosa. Inde stagnationis, obstructionis, inflammationis sedes in venis aut cellulosa, consentiente cadaverum inspectione

Novi plures narrare de infarctis arteriis, & suas sane habent obstructiones, at frequentius obstrui venas & theoria & accuratæ consentiunt observationes. Pulchre vidi in cadavere viri acutissimo morbo, quem inepte narrabant, intra quatuor dies necati, venas & tunicam cellulosam sanguine turgidas, dum inanes erant fere arteriæ quas rudi mechanica aere replebam. Ex effuso in membrana cellulari sanguine, totus ventriculus purpureum tapes referebat, cui insidebat rete nigrum venosum. Gastritis certe fuerat morbus. Simile vitium at minus universale observavi in vesica; & quotidianæ essent observationes, si sæpius cadavera secarentur.



Male posita obstructione in arteriis, anxie quaerunt cur post mortem maxima pars sanguinis in venis reperiatur. Facilis solutio; ante mortem plerumque aderat.

Bene, ex falsa tamen theoria, noverant veteres sedem inflammationis esse in venis. Vel, quod sponte crederem, sedes inflammationis in venis observata, falsam theoriam de sanguine in venis flatu in arteriis, a GALENO jam antiquatam, generaverat. Cur vera a posteris deferta sententia arteriisque inflammationis demandata provincia, quam venis restituendam esse monuisti?

At inflammationem non ponit sola obstructio. Quid ultra requiritur? Excitata vis vitalis in parte. Quid vero vis vitalis? Et id mox perpendam dicendo de natura.

Nec unica est species infarctus vasculosi sanguinei; chronicam alias dixi inflammationem; plures species dantur solis notæ clinicis. Vidi hominem ex anomala arthritide intra bihorium omnino tympaniticum; nec rara tristis illa metastasis, quam vidi pluries, levem aliquoties gravem alias, & merobibum novi acutissime intra triduum necatum. Graviditas, primis jam diebus, sæpe tympanitidem mentitur cum sævis doloribus & intoleranda anxietate. Vidi sexta

hebdo-



hebdomade abdomen amplius quam solet esse die partus, & adeo tensum ut exquisitos cieret dolores, quos acerbe levissimus augebat tactus; tota cutis, a scrobiculo ad pubim, carbonis nigredinem perfecte æmulabatur.

Minuta humorum copia, juvanda est aliquoties stagnantis discussio, concreti resolutio. Alias tamen, omnia potest sola diætatenuis, deinceps que leniter stimulans, & perplacet ALBII methodus, qui paralyticos attenuante & incidente diætâ, mulsaque aqua pro potu, sanabat. Septuagenariam, pauperem fœminam, ex apoplexia dimidia corporis parte paralyticam, intra annum omnino sanatam novi, sine ullo alio qualicumque auxilio quam tenuissima, qualem fors ferebat, diætâ.

Insufficiente verum diætâ, caute seligenda auxilia, nec obliviscendum adesse semper ante fores stantem apoplexiam, respiciendumque continuo quænam species paralyti præiverit, respiciendum quænam metuenda species, si nondum adfuit. Hæc enim consideratio, pixis est nautica, quæ omnia gerenda medico tuto monstrabit.

Vir quinquaginta & sex annos natus, robustus, activus, concivis tuus graves insultus vertiginis ante aliquot annos expertus, vere anni



1760 torpore immo integra paralyfi trium ultimorum digitorum manus dextræ corripiebatur, sed levidenti & sponte intra aliquot horas evanescente. Medicus ordinarius præscribebat infusum theiforme rorismarini & salviæ bis de die cum cochleari uno spiritus cerasorum; pluries redibat sub tali cura idem insultus, & vertiginis novum experiebatur paroxysmum.

Fausse vero cerebrum non impetebant excitati humores sed renes, & sævissima nephritis oriebatur. In auxilium vocatus, potentissimis refrigerantibus morbum fugare suasi, & auctor fui ut prophylactice omnia alimenta & remedia aliquo stimulo donata cane & angue cautius fugeret, cephalicasque præsertim herbas & cephalicos spiritus horreret. Meis paruit consiliis, & ab illo tempore, omnino vertigine, paralyfi, alioque morbo qualicumque caruit. Ex diuturniori usu remediorum calidorum aut apoplecticus mortuus sub terra jaceret, aut paralyticus miser viveret. Lethifer est enim nec maligne exprobrandus mos ille qui excitantibus omnem paralyfim sanare conatur, dum intelligere nolunt causam impediti motus musculorum esse plerumque vasorum plethoram. Novi sæpissime quidem adhiberi venæ sectionem, at mox, boni quasi pœnitentes, talia affatim ingerunt  
quæ



quæ cito delent quidquid attulerat boni phlebotomia.

His præmissis, breviter perpendam auxilia tria quibus indistincte nimis omnes paralyfes quotidie impugnantur. Sese mox offerunt decantatæ adeo thermæ; at calore & stimulo humores rarefaciunt, motum augent, sicque febrim & plethoram generant, metus est ergo ne insultum apoplecticum excitent; & hæc omnia nescire nequit quicumque hominem in thermali balneo observavit. Vidit *Belliluci*, anno 1747. Medicinæ studiosum qui, jocandi potius quam experiundi desiderio in balneum descendere voluit; cum paulo diutius, monitus tamen, in aqua remaneret, exiens de gravi cephalalgia & vertigine querebatur crassina die nondum penitus excussis, & post bihorium e lecto surgens adeo titubabat ut sedere cogeretur. Rubra erat facies, turgidi oculi, febrilis pulsus, læsa respiratio. Ex diuturniori immersione apoplecticus verosimiliter supremum obiisset diem. Ipse paulo nimis in caldario moratus toto corpore turgibam, & vertigine per horam premebar. Fideæ observationes mortuos narrant in balneo, in laconico, aut mox post egressum; cautissime ergo cum tali remedio agendum, quod sua fama tamen in multis casibus dejicere nolim; nubes



est enim paralyticorum qui thermarum ope & motum recuperarunt & sanitatem; sed non minor est numerus illorum qui eas adeundo pejorem morbum reddiderunt.

Plebs nostra quæ vicinis thermis caret, balneo vinaceorum sæpe utitur, at sæpius sine magno successu; aliquoties tamen profuisse vidi. Sutor æstivis caloribus, itinereque calefactus, sudore madens amnem vado, e ponte devius, transiverat, aqua ad renes usque immerfus. Notu omnes partes madefactæ sævissimis doloribus prehendebantur, quas aliquot dies toleravit nullum flagitans auxilium; mox inepto, anili consilio calida diaphoretica adhibuit & spirituosos fatus; exacerbabantur dolores, crescebat febris, delirabat æger, lotium supprimebatur. Mandatus venæ sectione & antiphlogistica diæta, enematis, mollibus fatus, febrim, delirium, dolores pacavi, urinas restitui; ingens vero crurum remanebat debilitas, ita ut e lecto exire nequiret, nec integre valebat vesica quæ ægre sese contrahere videbatur. Frictiones suasi cum vino aromatico, & largum usum decocti quinque radicum aperientium cum sirupo althææ. Denuo post aliquot hebdomades accersitus, omnia præscripta seposita fuisse audivi, integrumque opus creditum naturæ prava obruta



æ diæta. Vera aderat femorum, & crurum paralyfis. Internis remediis & longæ curationi valedicere cogebant res & indoles ægri; balneum vinaceorum supeditabat tempus anni; quid posset in morbo cujus causa circa externa hæerere videbatur tentare volui. Vinaceis ad umbilicum sepeliebatur æger. Prima quatuor balnea febrim excitabant, levamentum nullum. Post quintum, febris similiter oriebatur, sed quam profusus excipiebat sudor quo integre sanabatur æger. Vis remedii est ex calore & vapore nescio quo penetrantissimo fermentationis filio, nares feriente & vasa leniter stimulante.

Arcanum diu fuerunt in omni Europa, & sunt etiã nunc in nonnullis regionibus, inter cives & medicos bene multos, juscula viperina quo desperatissimas paralyfes vincere sperabant. Huic errori eadem quam jam confutavi origo, falsum illud principium ea solvere paralyfim quæ motum augent; & sane hoc respectu laudes mererentur. En illorum virtutes; circulationem augent, febrim sæpe excitant, humores ad caput pellunt, sanguinem rarefaciunt, alcaliscentiam in corpore generant & molestum calorem, irascibilitatem adeo augent ut viderim homines illis utentes ira, febre, & capiplenio indefinenter detentos. Quam jusculis cancerorum dedi

vitu-



vituperationem omnino merentur, & verbo hæc illorum vis ut diu usurpata in sano corpore, inevitabili fato, apoplexiam certe generarent. Videant nunc illorum encomiastæ quonam jure antiapoplectica dici possint? Tunc tantum prodesse possunt, cum morbus oritur ex defectu bonorum humorum; mucosusque, vapidus, acens sanguis vasa decurrit. Pulchros in simili casu observavi effectus. Fictæ tamen assero nihil opum medicinæ decederet, licet si in exilium æternum ablegarentur viperæ; quicquid habent boni præstare possumus multis aliis, & inveni instar omnium esse, quoties solventibus aut stimulantibus remediis egemus, plantas nasturtinas, succos ferulaceos, & decocta, lignorum ut dicunt, vel quinque radicum aperientium.

Aliud datur remedium a septemdecim annis contra paralysem admodum laudatum, electricitatem volo; quam, eodem propemodum tempore, & sine ulla communicatione, in medicina paralyticorum suos habituram usus suspicati sunt & experientiis demonstrarunt viri cl. CRUGER, KRATZENSTEIN, KLEYN, æternumque venerandus meus in experimentalis physica præceptor cel. JALABERTUS; suum mox adjuvante calculum cel. alio præceptore F. De SAU-



SAUVAGES . Cito ubique gentium notum nobile inventum , patronos nullibi non invenit , & ab anno 1747. ad annum 1756. tota Europa , paralyticorum salus electricitate nitebatur , vimque illius in omnibus fere urbibus experiebantur , at valde dispari eventu .

Diffimiles illæ observationes unicam nobis relinquunt viam qua judicare possimus de vi electricitatis in paralyfi , illius nimirum effectus generales ex observatoribus repetendo , & indicationibus quas offert paralyfis comparando . Brevisime illos dicam .

1. Pulsum citiorem reddit ; & variæ observationes simul compositæ hanc regulam præbuerunt ; si pulsus quinque , tempore dato , ante electricitatem numerabas , sex eodem tempore post electricitatem invenies . 2. Calorem perinde auget & plethoram . 3. Expirationem constanter excitat , & sæpe varias alias evacuationes alvianas , renales &c. 4. Hæmorrhagias varias ciet , & præsertim narium qualem ipse passus est Cl. WINCLERUS , & sat gravem vidi . 5. Dolor in loco tacto nascitur , cutis læditur , invita oritur musculorum actio , cordis e corpore extracti irritabilitas potentius restituitur quam ipso spiritu vitrioli . 6. Concussione convulsiva vehementissima percellit ; excipitur capitis debilitate ,



tate, vertigine, somno anxio, turbato, convulsivo qualem ipse sæpe expertus sum, & plerofque alios expertos fuisse novi. 7. Spasnum, lege inviolabili, & febrem sequuntur lassitudo & debilitas. 8. Anxia sæpe remanet respiratio. 9. Extremorum & universa paralyfis observata, **OPELMAYERO** funesta; paralytica mors. 10. Fulguris instar necat. 11. Cadavera post longam electrificationem aperta, vasa cerebri dilatata & sanguine turgida exhibuerunt. 12. Electricitas animalibus applicata, convulsiones excitavit vehementes, convulsivam rigiditatem, involuntarias evacuationes, paralyfes, anxietatem, oris spumam, cordis requiem, mortem citam cum effuso sanguine in pectore & cerebro.

Patet in electricitatis præcipuas vires esse febriferam, convulsiferam, & plethoriferam, venia verbis. Sanguinem ad caput cogit; & casu, paralyfim ciet aut atiget.

Quisnam ergo usus in paralyfi? Ex præcedentibus patet. Nocent sæpe febris & plethora quæ morbum renovare valent. Metuendi tantum non semper spasmi, turbant enim circulationem, cujus æquabilitas fons est salutis, & pedissequam sæpe paralyfim habent. Non ergo indistincte in omni paralyfi adhibenda electricitas, sed tantum cum, nec febris, nec plethoræ, nec spasmi nocivas

civas



civas vires timebimus. Et jam videmus cur adeo varii hujus remedii effectus, cur hic laudatum, hic vituperatum; aliis nimirum profuit, aliis mutatis circumstantiis nocuit. Sub tutela periti medici, suas habet vires heroicæ & in medicina retinendum remedium, quia oportune tantum applicatur; pulchri inde successus in nosocomio thesesiano; pessime vero paralyticos specifico venditur; nec male anno jam 1746. sagaciter scribebat Cel. CAMPER *Electricitatis effecta nervis inimica esse probabile est*. Subjungebat vim febriferam.

In paralyti deauratorum profuisse legitur, nec miror, morbus est enim ex torpore excitato stupefaciente veneno, & spasmi excutiendæ ægritudinæ pares videntur. Proderit verosimiliter in paralyti quæ excipit colicam saturninam; absunt in utroque casu plethora, febris, vitia cerebri; nocebit in multis aliis. Laudes suas tuebitur in temperamentis illis quæ laxa simul sunt & irritabilitate carent. Talia observavi sæpe temperamenta infelicitum illorum puerorum, qui auditu carentes, tarda que mente præditi lucem adipiscunt. Cassa hucusque pleraque artis molimina; anne aliquid possent concussionis electricæ? Tentare non pœnitebit.

Unicam addam observationem. Amicus meus

sa-



sagax & peritus Architecta, a multis annis parvum tumorem super cervice habebat, qui calore lecti excitatus acute dolebat. Parisiis degens cum cel. **BLONDELLIO** commotionem electricam patiebatur. Bihorio elapso tenuis humor e naribus fluere incepit, & per viginti quatuor horas, indefinenti quasi rivulo effluxit, tum paulo remissius per aliquot insequentes dies. Vix credibile quanta humorum copia evacuata. Evanuit tumor & nunquam ab illo tempore rediit.

Haud adeo dissimiles forsan in paralyticis, effectus electricitatis & iræ; pluribus sane paralyticis vires restituit electricitas, aliis omnino ademit; eadem iræ vis. Paralyticam, ira pudica, jam sanavit **GABRIEL** filius **BACHTISHUÆ**; fidæ observationes ab illo tempore similes narrant eventus; aliæ vero paralyfim ex ira testantur. Fœminam novi elegantem quæ, sextum agens annum, gravi orta cum amicularixa de colore teniæ quo ligaretur indusium infantilis simulacri, subito prehendebatur paralyfi linguæ & brachii sinistri. Lingua sat bene post plures annos restituta est; brachium æternum paralyticum jacebit. Anne tuto sanatio tentaretur electricitatis ope? Vix credam; ne noceat enim timco temperamentis plethoricis, acribus, mobilibus, irritabilibus; nec generalem legem



infringere debent nonnullæ exceptiones. Vidi nuperrime ruris vegetum, sanissimum, juvenem virum, aratorem, qui ira inter pocula suscepta, linguæ, brachii, femoris & cruris paralyti subito corripiebatur; & paucos post dies illius frater dum somniat serpentem juxta suum brachium repere, brachiumque fortiter illam fugaturus excutit, ab illo tempore, ter quater, sæpius de die vehementi adeo motu convulsivo brachii ejusdemprehenditur, dimidiam sæpe horam duranti, ut nulla vi compesci possit. Hoc unice arte cavet ne manus faciem quam læderet, aut dura corpora, quibus læderetur, impingat.

Sine vero dum de electricitate agitur quæstionem interjicere; quonammodo celeritatemquam circulationi addit, anima cieri, exponent animæ motricis universæ Patroni?

Dicta paralyti in qua læduntur animales motus, nonnulla narrabo de hydrope, qui ex vitalium languore plerumque oritur.

Quem acurate adeo descripsisti, ut nova quasi pars in corpore humano videatur, cellulofus textus, & cavæ hydropibus variis sedem præbent. Ascites, hydrothorax, species una hydrocephali & hydropis uteri, species sunt hydropis in cavitatibus; omnes aliæ sunt morbi cellula-



ris telæ . Omnium oculis subjicere vellem pulchrum spectaculum quod præbuit , mense octobris 1757. cadaver pueri sublatis quod secare permisit iudex . Textus qui inter integumenta & pericranium sedet , aqua dilute rubella æquabiliter ad trium linearum spissitudinem distentus , speciem primam hydrocephali , & hydropis speciem frequentissimam nitide ostendebat ; simulque veram textus fabricam exhibebat , dum optime cellulas distinguebat oculus , & leni pressione cum molli linteo hinc inde fluere cogebatur humor ; ita ut pro lubitu partem evacuari , aliam turgere cogere ; at demum , Paulo fortiori compressione , crepabat distenta nimis membrana ad mediam inferiorem partem temporalis sinistri , & , tota effusa aqua , flaccida remansit . Aere verum , quo foramine efluxerat aqua , insufflato , turgorem emphysematicum oedematoso majorem oriri videbam ; mox vero undiquaque fractis cellulis & effluente aere collabebatur tumor . Pictor nitidam imaginem valorum externorum capitis , ex eodem cadavere , facili labore reportasset .

Facile itaque capitur generatio hydropum , facem præsertim præbendo physiologicis tuis , quæ quo plus evolvo eo ditior in praxi fio ; unde confirmata magis mihi mens optimum illum esse



esse medicum, qui quicquid est theoriæ acuratus novit; fidem addunt & doctissima tua colloquia, & epistolæ, & utilissimæ, utinam frequentiores, tecum consultationes, in quibus miratus sum quam facile ex symptomate vitium internum protinus detegeres, & qua polles remediorum doctrina efficacissimum feligeres. At tuendæ quoque praxeos partes; si juvatur theoria, theoriam vicissim juvat, & testem te volo, quo, fausto connubio, utraque culta. Ægre physiologus fiet, qui praxim non exercuerit, practico-rumque non legerit opera, e quibus tot te in physiologiam collegisse lætus video. Nihil enim majorem lucem affundit mechanismo functionum, quam acuratum examen caussarum quibus læduntur, & symptomatum quæ hanc læsionem sequuntur. Quis, ut unicum exemplum excitem, physiologiam hepatis & bilis intelliget, si inflammationem hujusce visceris, scirros, icteros, calculos felleos, colicas ex his impactis haud observaverit. Dubia, si remaneant, excutiet quisque physiologica GALENI, BOE-RHAAVII, & tua præsertim legendo, quæ clinicum in gravissimis suis casibus juvant, dum vix ex tot aliis physiologicis libris, connexionem theoriæ & praxis suspicari licet; indeque bene jam GALENUS monuerat physiologum,



*ex medicis disce, nisi tu ipse medicinam faciatis.*  
Sed ad inceptum redeo.

Toto suo tractu porosæ arteriæ, trans suas membranas, in sanitatis statu, partes aquosas & pingues nonnullas, quarum hac via, lapsum oculis subjiciunt injectiones, stillare sinunt.

E multiplici præterea arterioso exitu, alius est in cellulas, alius in caveas majores, & quem uterque deponit humor, ex illis receptaculis hauritur vi absorbente venularum, vi illa capillari viventium, qua ex intestinis vasa lactea sugere chilum primus monuit, celeberrimus olim GALLÆI discipulus, *Nicolaus AGGIUNTI*.

Quoties ergo plus aquosi laticis in cavitates aut cellulosum textum ex arteriis depluit quam resorbent venæ, toties aquæ congeries, hydrops.

Generales causæ, quæ possunt hunc venis reditum impedire sunt. 1. Obstaculum quod solos truncos venosos premit; sic ex ligata vena, in notissimo experimento LOWERI, hydrops partium e quibus sanguinem revehit, dum enim non depletur truncus cessat ramorum suctio.

2. Obstaculum quod æquali vi arteriam & venam premit, robustior enim arteria minus impeditur, & sanguinem traducere pergit, quem pari quantitate non reducit vena. Si eadem ligatura stringuntur arteria & vena, partium ori-



tur hydrops, ut in primo experimento, sed paulo tardius.

3. Remissio virium, quibus sanguis movetur; nam mox a corde motum trahentes, & majori vi propria præditæ arteriæ, quamdiu virium aliquid superest sanguinem ad venas transmittunt; ubi vero alia circulationis auxilia defunt, lentescit majori proportione in venis motus, & quem attulerunt liquorem arteriæ, eodem tempore auferre nequeunt; inde v. g. hydrops, qui sedentariam vitam consequitur.

4. Ut succedat suctus capillaris, proportio quædam requiritur inter vasa sugentia, & sugendum liquorem, quæ si deficiat cessat motus; plura autem venarum vitia hunc suctum impedire possunt, *a* collapsus ex nimia laxitate, *b* imminutio vis vitalis; ut enim, si deficit in ramo arboris, succi nutritii motus cessat, sic in venis, lentescente motu vitali, lentescit circulatio. Quid est vero motus venarum vitalis? Anne hic revocanda irritabilitas? Aliter suadent experimenta tua; nonne vero plura dantur in corpore humano phœnomena extra provinciam experientiæ posita, ex castis analogiæ legibus demonstranda? Anne confugiendum ad motum fibrillarem, quem nuperrime adstruere conatus est, nec sine ingenio & doctrina, cl. ROGER



lugendo fato præmature beatus? Huic assentire plura vetant & gravia, hæc vero fusius perpendere supersedeo, nam cum TULLIO *rerum eventa magis arbitror, quam causas quæri oportere, & hoc sum contentus, quod etiamsi quomodo quidque fiat ignorem, quod fiat intelligo.*

Alia fileo venarum vitia, callum, spasmus, inflammationem &c. luis non caret fluidum tranaturum, quod quamdiu pellente vi cogitur, non cessat, nisi grave sit quo scædatur vitium, at facilius perturbatur absorbtio, spissiora enim non admittit, & acria excludit, quæ irritando ostia venosa stringunt, nam totum corpus humanum, sic docebas ante viginti annos, ita comparatum est a sapientissimo artifice, ut ad contactum acris alicujus particulæ contrahant se exigui venarum resorbentium sphincteres, neque quidquam de hostili liquore admittant. Sic ex acri ad intestina deposito nihil sugunt vasa lactea, & hæc sæpe pertinacissimorum alvi fluxuum causa; anne sic explicantur hydropises illæ, quæ vehementes dolores abdominis excipiunt? Ita sane. Anne sic respondetur quærenti cur modo profuerint, modo nocuerit venæ sectio, & opium in ascite hujus speciei, quem narrant Cl. PORTE in diario medicinæ? Rem dubiam relinquit ipsa narratio, nam, paribus ut

vide-



videtur symptomatibus, ineunte morbo tantum nocuerunt, quantum profuerunt sub finem. Anne forsan curatio ex abdita causa invitis remediis?

Acris stimulus, qui venarum oris applicatus eas claudit, fines arteriolarum excitando ad citiorem, & copiosiore evacuationem eas cogit; duplici ergo de causa augetur congestio aquosilaticis, majori affluxu, refluxu minori. Sic ne exponitur, obscure huc usque dicta, actio vesicantium? Membris apposita extremitatum turgorem sæpe excitant, anne ex ligatis venis inflammatione cutis? Omnes notas, immo possibiles, hydropes respiciendo, nulla invenitur, quæ ex alterutra causarum dictarum originem non habeat, & inde intelligitur num, quando, & quomodo quæque curari possit. Prima & secunda causa obstaculum removeri volunt. Tertia roborantia suadet; quarta a eadem imperat, b specificum desiderat, quod pluris esset in medicina, quam pleraque huc usque inventa remedia; a dum expectatur, nitimur roborantibus, & præfertim sancto cortice, quem, contra gangrænosam necrosim utilem, aliis vitiis motus vitalis remedium fore suavit analogia, & confirmavit usus.

Specificis, diluentibus, edulcorantibus, robo-



rantibus plerumque nuptis sanantur aliquoties difficiles species ex quinta causa. At fuscæ hæc persequi nolo, utilissimum enim de hoc morbo tractatum conscripsit discipulus quondam tuus cel. *Donat* MONRO, in quo pleraque hydro-  
pes præceptis & exemplis noscere, ac sanare do-  
cte & nitide docuit. Nonnulla tamen, his in  
genere præmissis, monita, de vitandis potius  
quam gerendis, aliis aut omissa aut transitorie  
dicta subjungere proderit.

1. Hoc est fundamentum curationis, ut resor-  
beant venæ, quantum arteriæ stillant; quamdiu  
ergo resorbtio impedita remanet, tamdiu nocive  
motus in arteriis augetur.

2. Quando morbus ex sola laxitate partis ex-  
ternæ oritur, citius vidi, & tutius succedere sa-  
nationem parti roborantia externa applicando,  
quam utendo internis. Morbus est enim præfer-  
tim cellulosæ & venarum in quas agunt exter-  
na, dum præcipua internorum actio est in ar-  
terias. Sic toties spirituosâ fascinatione fugavi  
tumores crurum, quos æstivo præsertim tem-  
pore experiuntur fœminæ laxæ & sedentariæ,  
cætera omnia sanissimæ.

3. Solis vincendus roborantibus hydrops, qui  
oritur ex vasis, post longum morbum aut lar-  
gas evacuationes, inanitis; & quidem adhiben-  
da



da sunt antequam grandescens, novas genuerit causas morbificas aliis impugnandas auxiliis. Nam ubi humorum stagnatio, ibi acrimonia, dolor, febris, putredo, gangræna, quæ omnia nisi respiciantur, inepte medebitur; increfcunt enim usu remediorum calidorum, stimulantium, roborantium; exemplorum copiam fecit praxis illa, quæ laxas unice fibras crepans, toties hydropem, aliosque aliis sanandos remediis morbos auxit.

4. Immo feligendo remedia stagnantes aquas evacuantia, illis cavendum, quæ putredinem augent aut febrim excitant, nocet enim, quicquid nonnulli fabulentur, & desperatus ferre quem comitatur hydrops; spe nondum destituimur quamdiu abest. Teneo quantum febrim in chronicis gravissimi laudarunt auctores, leves, incipientes, circulationis seras haud semel referavit, laudes ergo aliquoties meruit, vituperium sæpius; graves enim obstructions compingit magis, putredinem fovet, vires penitus convellit; in hydropem, diu durans, robustissimos conjicit.

5. Pulchre succedit resorptio, si vasa manuntur, & nulla foedantur acritate resorbenda fluida. Nitendum ergo, ut colis secretiones succedant, vasis robur addatur, fluidorum caveatur



degeneratio. Inde tanti est in hoc morbo tenuis diæta, & præsertim parcissima cœna. Alimenta seligenda nec laxantis, nec septicæ indolis; subjungenda acida, & pluribus profuit oxisacorum, alimenta, præsertim animalis generis, condiens, facile, sed non contemnendum remedium. Sub largo illius usu, cum tenui diæta & æquo exercitio, fugatos vidi incipientes hydropes; utile est quoque quoties senit morbus, febrim enim retundit & putredinem, secretiones juvat. Ubi gravior casus, ad mineralia acida confugio, nec me moratur vituperatio bonorum cetera medicorum, qui omnia acida in chronicis exulare volunt, damnatur enim ratione & experientia. Et quam ex acidis metuunt debilitas, illorum usu, dum debilitatis causas impugnant, arceri demonstrat observatio; bene præterea, roborantibus maritantur, & pro spe læpe juvit spiritus sulphuris cum cortice.

Jam intelligitur usus cremoris tartari a cel. MENGHINI adeo commendati, & quem a pluribus annis fauste adhibui; nitri cl. BROOKIO adamati; salis thermarum Lucensium a cel. BENVENUTI laudati; at, possuntne omnia? Minime. Pulchra præstare cremorem tartari vidi a quoties incipit morbus, modo non oriatur ex laxa nimis aut acida compagine; sic apud sc-

minas



minas, quæ ex anomalia mensium, decurente decimo lustro, hydropicæ fiunt, valetudinis causas rescindit, & illius ope, abstinentia ac san-ctitate, morbum difficilem pluries vincere & frangere potui; nec mirum, oritur enim ex plethora cui mire medentur diætæ & salia acida.

*b* Quando oritur ex illo vitio, quod fuit veteribus intemperies calida hepatis. Virum sanavi atrabilarium, ( ineptæ venia voci ), sæva anxietate, pleno fastidio, acris vigiliis, turpi crurum & femorum inflatione, acerbe pressum, ter de die præscribendo dragmam unam cremoris tartari extracto sambuci obvoluti, & uncias quinque feri lactis limpidi, cui miscebatur uncia una mellis purissimi. Decoctum graminis erat pro potu. Sensim recedebant anxietas & fastidium, residebat inflatio, redibat somnus, integra etiam nunc sanitas.

*c* Dum lotii segescit secretio & intenditur color, mox adsunt lassitudinis & plenitudinis sensus, turbatio somni, gravitas post pastum, inertia, anxietas, fastidium, quæ bene debellantur usu tempestivo cremoris, qui copiam urinarum facit, magno cum levamento omnium symptomatum.

*d* Immo in ipso vetustissimo hydrope aliquoties lenimen, sed temporale attulit; plerumque

tamen



tamen cassum est, dum lapsu temporis inertes omnino redditæ fibræ solis fortissimis stimulis excitantur, sed & tunc utiliter miscetur.

6. Sitim & calorem compescunt spiritus nitri aut sulphuris, medentur quoque tussi, quæ sæpe, vespera præsertim, hydropicos damnose laceffit. Necessitatem acidorum ille demum capiet qui, observatis hydropicis, & sœctis cadaveribus, viderit tantum non semper, febrim, sitim, inflammationem, purulentiam, alcalescentiam, tabum, gangrænam, causas esse mortis. Intelliget simul quanti sit pendenda methodus illa, quam iam tetigi, & quæ fibræ debilitatem unice respiciens, pro victu tollas carnes, ova, generosaque vina commendat. Valet quidem aut incipiente hydrope, quem supra dixi, ex laxis fibris & acidis fluidis, aut in nonnullis subjectis post integram laticis morbidi exhaustionem; at pessima est in plerisque aliis speciebus, officitque duabus præcipuis indicationibus, inanitioni vaporum, & putredinis cohibitioni, quæ ultima quidem magni est momenti; vix enim sine putredine moriuntur hydropici, & quamdiu absuit, morbum, pro tempore saltem, fere semper abigere potui. Nata vero vires adeo convellit, ut pauci sint generosissimæ medelæ.

Bona cremoris, damna calidorum remediorum

se-



sequens declarat observatio, Mense februarii anni 1759. consilio fui sc̄minæ duodecimum emeti-  
 cienti iustrum, jamdudum obesæ, venæ sectio-  
 ne diu abusæ, unde forsan obesitatis incremen-  
 tum, cui nunc crura & abdomen admodum tu-  
 mida, urinæ rubræ parca quantitas, vespera fe-  
 bris, noctes insomnes & anxix, ventriculus  
 nauosus, virium dejectio ingens, anhelitus fre-  
 quens, facies, ut narrabant, rubra. Diætam sic  
 institui, ut semel tantum de die carnis paululum  
 cum oxissacharo ederet, oleribus præsertim chi-  
 coraceis, & fructibus vesceretur, vino tenui  
 cum aqua pro potu uteretur, frugi esset, te-  
 nuissime imprimis coenaret. Suasi simul ut ali-  
 quoties curru veheretur, & bis de die cremoris  
 tartari dragmam sesqui devoraret, superbibendo  
 hydromellis uncias quatuor. Mox rescribebant,  
 ( plures enim leucas dissitam, notam olim,  
 ægrotam non vidi ), fauste omnia converti, &  
 morbum quotidie remittere; ineunte maio bo-  
 na sanitas. De illa deinceps non audivi, nisi  
 post mortem, ex sorore, teste oculato, quæ sic  
 narrabat. Bene valuit aliquot menses, sed tem-  
 nens diætam & motum, sub finem septembris,  
 novis corripiebatur anxietatibus. Qui tunc tem-  
 poris alium visitabat ægrum in eodem vico vi-  
 cinior medicus, consultus mense octobris, plura  
 adhi-



adhibuit remedia, quorum formulas vidi ex amaris, roborantibus, stimulantibus variis, purgantibus, diureticis, gummosis, salinis & aliis quot nescio; diætamque præscripsit fere totam ex carne sicca, quam nauseabat ægra. Sæve increverunt anxietates, totoque intumuit corpore, cum indefinente orthopnæa. Sub ultimis hebdomadibus sopor accedebat, qui, sub usu calidiorum & cantharidum, quibus excussum fore sperabant, increfcens, lethargus demum fiebat; sæva tamen mors.

Anno 1757. quinquagenaria proximo fœmina, intra turbas desinentis menstruationis, anxias ducebat noctes, alimenta omnia fastidibat, tumidissima gerebat crura, parcissimeque rubrum mingebat lotium. Cremorem tartari suasi, omnino resedit inflatio, optima sanitas. Lapsis sex mensibus, eadem redeuntia symptomata eodem vici remedio; idemque, me inscio, tertio insultui fausse opposuit. Hieme anni 1759. intra ærumnas quartum laccessita, cremorem, sed in cassum, tentavit; increvit morbus, & toto jam turgido corpore, sæva orthopnæa, suppressis plane urinis, denuo accedebam, & duro nudo parem cuneum seligens mixturam mihi familiarem ex oximelle scillitico, terra foliata tartari, & aqua sambuci præscripsi, cujus ter die me-

dio-



diocrem dosim hauriebat ; inde multum soluta  
 alvus , at nullum tumoris decrementum aut ægræ  
 levamentum , sed virium lapsus . Volui ut fra-  
 cta , & frequenti dosi hauriretur , rarius dejecit  
 alvum , & post triduum tanta renalis diluvies  
 ut sexaginta libræ urinæ intra triginta quinque  
 horas effluerint , viribus interim conservatis  
 fasciatione crurum , femorum & abdominis , po-  
 tuque grate vinoso ; omnia symptomata citissime  
 evanescebant ; roborantia , quæ vim detractam  
 fibræ , distensione & aquæ decubitu , restitue-  
 rent , subjunxi ; optime convaluit . Sed tota  
 æstate & autumnis sævioribus pressa calamitati-  
 bus , defuncto , mense novembris , marito , de-  
 cta penitus fortuna , mense decembris , colicis  
 frequentibus , mox ictero , fastidio , & integra  
 virium jactura corripiebatur . Mites , gratos ,  
 acescentes saponos , qui vires erigerent , corrupte-  
 lam bilis occuparent , concretam solverent , so-  
 lutam evacuant adhibui ; spem fovebant , ali-  
 quot dies , successus ; moerore verum , quotidie  
 exacerbato , viresque penitus frangente , leviter  
 oedematosis cruribus , mense februarii expiravit  
 sine ullo agone , quod mortis genus alias vidi  
 post longum icterum , quo putrefacto sanguine ,  
 penitus labascunt vires , & tragoediam claudit  
 syncope , vel potius paralysis cordis . Felleos cal-  
 culos



culos exhibuisset cadaver, quod lecare non ferebant circumstantiæ.

Aliam hydropicam etiam nunc curo, quadragenariam prope, sanam antea foeminam, numerosæ prolis matrem, cujus morbus primam originem ex moerore habuit, dum furti convicta, pœnam metuens, ictero prehendebatur, qui tristitiam sæpe adeo excipit; carceris pœna imponebatur, qua tamen, ob icterum & graviditatis suspicionem, dilata domi vixit, & remanenti ictero jungebatur pedum, femorum, abdominis tumor, quem graviditati adscriptum parum curabat. Accedebat verum febris cum insomniis, delirio frequenti, siti, & urinarum suppressione; meam tunc opem sollicitavit. Officium fuit febrim pacare, simulque sitim restringere, deviaz bilis & urinæ referare cola. Febrim sat cito fugarunt, & bilis eam secretionem, quæ icterum maximam partem sanaret, restituerunt saponem acescentes, oximel scilliticum, acidi potus. Perstinax vero remanebat urinæ, non integra tamen, suppressio & mire crescebat abdomen, quo percusso, clare effusæ aquæ percipiebantur. De graviditate quam accusabat remanebant dubia, quæ ut excuterem obstetrice tangeretur voti. Partum vicinum nunciabat, quod cum vix crederem, rem chirurgo & aliæ obstetrici commisi,



missi, qui ambo vacuum uterum affirmabant; potentissima remedia, quæ ferebat morbus, adhibui, at frustra; unica ergo spes paracenthesis; libræ aquæ viginti septem, magno cum levamento ægræ, educebantur; feri lactis depurati colorem referebat & consistentiam; odor verum leviter putridus. Uncias aliquot experimentis subjeci; pars una sine miscela ulla relinquebatur; secundæ sirupum violarum, tertiæ spiritum vitrioli, quartæ alcali fixum, quintæ alcali volatile addi curabam.

Ex miscela sirupi violarum secunda pulchre viridabatur; tertiæ color leviter turbidus evasit; nihil mutabatur in quarta & quinta. Omnes amphoras in pharmacopolio repositas laxè charta obturatas, sexta relinens die, foetidissime olentem primam citissime abjeci; secunda nitidius etiam virens nullum, nisi sirupi, odorem exhalabat; quinta alcali volatile olebat; tertia cui parca spiritus vitrioli dosis inflillata fuerat, & quarta quæ majorem olei tartari dosim exceperat, odore leviter foetido inquinabantur? Anne inde concludendum corpori vivo indita salia acida & alcalia eadem vi putredinem frangere? Nequaquam sane; nam longe aliæ vires utriusque; quas ut quisque experiatur, singula aurora per hebdomadem, ut olim tentavi, cremorem



tartari, hebdomade sequenti, salem fixum tartari aut absinthii, devoret. Quod expertus sum experietur & ille, sub usu cremoris bona omnia, nisi, ultima die, ructus aliquot cuprum redolentes. Tertia die ab incepto sale absinthii, cujus scrupulum tantum intra bihorium devorabam, ructus erumpebant nidorosi, dejiciebatur appetitus, calor adurens cardiacam occupabat, siti & fastidio premebar, rubræ mingebantur urinæ, vires prosternebantur, & sexta jam die, periculolum tentamen deferens, acido potu sanitatem restitui.

Quisnam vero operationis successus? Non qualis optaveram; tertia enim jam die nova aquarum in abdomine colluvies tactu percipienda; cum vero ab illo tempore non augeatur, decima labitur, lotiumque copiosius fluat, omnis nondum abjicienda spes.

7. Gravissimi medici, omni ævo, ipseque SINDENHAMIIUS, fortia, in hoc morbo, purgantia commendant, & vidi aliquoties professe, dum copiosa diarhea vasa inaniuntur, effususque latex reforberur; sed longe sæpius monstravit observatio, nihil minui tumorem sub valida purgatione, proflerni vero vires, aut hac via profligatum tumorem citissime redire; longioris verum est ævi detumescencia, quam cient copiosæ  
uri-



urinæ, moxque narrabam nihili fuisse oximel scilliticum quamdiu alvum dejiciebat, conversum vero ad renes cito morbum vicit. Quænam hujus phænomeni causa? Consensus ille mirus cutis internæ & externæ, aucta enim externa exhalatione, pari passu interna augetur inspiratio; sudore tollitur diarrhœa. Anne ex aucta exhalatione interna, copiosior externa inhalatio? Sic omnia suadent; nec tantum ex inanitione vasorum, alioquin enim idem, post evacuationem qualemcumque, accideret, sed ex illo consensu qui ex paritate officii oritur, ut quando ex fluxu uterino detument mammæ, crescunt suppressis mensstruis; quorum neutrum aliarum evacuationum nutum sequitur.

Hanc purgantium noxam probant ii præsertim ægri qui mobiliores sunt, major enim illis vis consensus. Frequenter, post intempestivam purgationem fortiolem, anasarca & ascite cito laborant debiles & hysteriæ mulieres; quod nolim tamen, ex exhalatione externa diminuta, inspiratione aucta, unice exponere; suam dat enim, nec minimam, symbolam jactura virium digestivarum, quas jam debiles pessumdant drastica; inde coctionis & assimilationis defectus, lerna malorum, hydrops. Suam confert quoque forsan symbolam irritatum genus nervo-



sum, unde secretionum læsio. Qui inepto consilio, labantem valetudinem, purgantibus restituere conantur, proposito non modo excidunt, sed, laboris mercedem, ocius ferius, insuperabilem hydropem reportant.

Obvia ubique exempla congerere inutile foret, quod vero parum absuit quin moestus acerbè lugerem, breviter dicam. Anno 1749. redux in patriam, dilectam inveni matrem, teneram & mobilem fœminam, pluribus laborantem symptomatibus, quæ iustum proximi hydropis metum incutiebant. Alte repetenda prima ægritudinis rudimenta, cui occursuri alii medici jamdudum suaserant frequentes purgationes, & potus theiformes pluries de die, hoc fato, ut sequens dies prioris calamitatibus adderet. Utrumque remedium æterno exilio multavi, & præscriptis pilulis antihystericis, quas bis quotannis regulariter, per aliquot hebdomades, devorat, obtinui, aspirante summo numine, ut etiam nunc, quantum fert constitutio, valeat, omnium cum purgantibus, exulato hydropis metu. Coæva, haud dissimilis temperiei, similis valetudinis amica, cui idem morbus, at remotius, metuebatur, pulchre purgata & diluta, hydrope necabatur exeunte anno 1750. Nec mirum; collatis enim virtutibus purgantium, hydropicorum



vitiis, ineptum videntur, in plerisque casibus, pharmacum. Nihil boni præter inaniendi vim habent, pluribus taminantur nævis, alia ergo eligenda quæ eadem vi inantiant, iisdem careant vitiis.

In illa quidem specie, quæ ex obstructis visceribus oritur, bene succedunt purgantia subinde, dum concreta solvuntur, adhibita, causam enim quæ hydropem generasset rescindunt, & in illo casu plurimum instar fuit mihi rheum cum tertia aut dimidia parte cremoris tartari. Jalappa quoque usus sum cum saccharo diu trito, quando pigriores offendebam naturas.

Multum etiam potest rheum contra illos hydropes qui ex atonia unice oriuntur, mire enim gastricum sistema & intestinale roborat. Solum sanavit fœminam quæ inepte aquas minerales nimia dosi potaverat, indeque in diarrheam, debilitatem, anasarcam inciderat. Rhei scrupulus unus, mane & vespere, per quindecim dies deglutitus, morbum dissipavit; residuam ataxiam, limatura martis cum cinnamomi quarta parte mixta, vici; optime convaleuit.

8. In aliis verum casibus, iterum moneo, male creditur purgantibus prophylaxis aut curatio hydropis, sæpe enim oritur ex labascente digestionem, & imminuta expiratione cutanea, utrum-



que vero vitium augent repetitæ purgationes .

Ut nascens rescindatur hydrops 1. noscendus est, 2. In causas inquirendum, 3. Singula suis debellanda remediis; ut enim nullum datur remedium quod omnibus medeatur hydropibus, ( jactitent interim arcana sua medici, de quibus major concepta spes ), deest quod nascentes omnes adolefcere impediat .

Futuri hydropis signa plura jam dixi, quibus si addas faucium subinde recurrentem ariditatem, cum aut sine siti, cutis siccitatem ex imminuta transpiratione, inassuetos somno subulcius, & præsertim accuratum examen omnium causarum quæ hydropem excitare valent, morbum in ovo noscere semper, suffocare sæpe poteris .

Non ibo per singula remedia quæ monstrat detecta causâ . Tria sunt ubique utilia, numquam omittenda, exercitium pedibus, equo, curru, carruca; magna rescissio alimentorum; usus auxiliorum quæ urinas & expirationem cutaneam restituere valeant. Nobilis & veneranda fœmina, obesa, prope quinquagenaria, menstruis ab aliquot mensibus carens, &, aliquot annos, nonnullas ægri tudines hydropis prodromas, passa, pluries jam minerales aquas quæ Valli scaturiunt, nescio quo suafu biberat. Ul-

tima



rima dosis, anno 1759. vires digestivas admodum debilitaverat, maleque increverat tota hieme valetudo; medicamina verum oſa auxiliis caruit, donec, urgente periculo viſta, menſe junii 1760. meam deſideraverit opem. Continuo dolebat quaſi ex cingulo ferreo arte peſtus ſtringente, quod aliis familiare eſt hydropicis; pluries ſingula nocte illam expergebant orthopnœa & læviſſima anxietas, quibus e lecto ſurgere cogebatur, ut novam auram, aperta fenestra, trahe- ret; tuſſis aderat continua, vehemens, inanis, cadebant vires, tumebant pedes, incaleſcebat ſæpe nullo refrigeranda madore, urina æquo parcior. Tenuem 1. præſcripſi diætam, & ſe- veram præſertim abſtinentiam carne veſpera; 2. potionem ex oximelle ſcillitico & æquali par- te aquæ ſambuci, cujus cochlearia duo ter de die bibebat; 3. Quotidianam rheda ambulationem.

Lætior cito rerum facies; tertia nocte, placi- de in lecto remanere potuit, mane roridus ma- dor cutim eoſque aridam mollibat; ſucceſſive conſidebat tumor crurum, ſolvebatur ſtriſtura peſtoris, reſarciēbantur vires, & tribus lapſis hebdomadibus, ſola remanebat pertinacior tuſſis, quæ ſenſim tamen uſu cremoris tartari recede- bat. Ineunte ſeptembri bene erat niſi quod pau-



lulum languebat appetitus , nec mirabar , hæc est enim vis scillæ . Purgationem desiderabat , quam denegavi , obsequiosus tamen nimis & inconsultus , permisi demum , ut per aliquot dies ciathum fumeret decocti , quod impense laudabat amica , & cujus basis erant , ut dixit , amaræ plantæ cum leni laxativo stimulo , hæc virtus , verbo , ventriculi vires restituebat , & alvum bis aut ter quotidie dejicere cogebat . Bene , primis diebus , successit res , sed quarta , talis accessit diarrhea , ut quadragesies torminosam alvum deposuerit ; aliquot dies , sed mitior , duravit ; succedebant lienteria , virium dejectio , dispncea , anxius somnus , tussis . Roborantibus tamen pristinum restituebam statum . Bonam duxit hiemem ; sed exeunte aprili tussi denuo corripiebatur quæ jamjam scillitici aceti ope discedit . Numquam redierunt menstrua , sed pluries sanguis naribus manavit . Certe est spes firmæ quondam valetudinis . Et jamdudum sepulta putresceret si sicca & calida diæta , purgantibus , acris , roborantibus , usus essem .

9. Magnum est sane remedium , in multis hydro-  
dropibus , scilla , & prisca fama eundo crescit ;  
faustius vero semper mihi successit , hanc adhi-  
bendo dosim , quæ renibus , non alvo , purgat ,  
& sic mira patrat ; nec omnia potest tamen ,

nec



nec suis caret vitijs; nam *a* ventriculi vires certe hercle deprimit, quas quidem bene deinceps erigit cortex, *b* Acre & penetrans remedium, in toto corpore sævos sæpe dolores ciet; immo *c* quibus mobiles nervi, eos sæpe in convulsiones agit; verum est, utrumque incommodum occupare additam camphoram jam dudum, ut plura alia bona, me docuisti, primus omnium. *d* Sanguinis crasim solvit ut sæpe testantur foeces & urinæ, leniter sanguine tinctæ; & sane, ubi jam soluti humores, caute illo utendum remedio. Sæpe scilla aquas evacuavi, & protinus, usu corticis vel aliorum roborantium, vim dejectam solidorum, & sanguinis crasim restitui; sæpe scillam & corticem eodem tempore adhibui.

Fœminam, lapsa autumnus, curavi, haud senem, sed vigesennali dispnœa jamjam crescente & curis fractam, debilem, perpetim nauseosam, sæva hemicrania, singula nocte recurrente, omni impeditam somno, crurum inflatione occupatam, cui ante meridiem oximel scilliticum, post meridiem dragmas duas corticis peruviani, præscripsi; mirum sane quam belle omnia symptomata sensim recedebant, & appetitus, vires, somnus redibant. *e* Periculo non caret ubi vetus scirrus adest cum febricula, fa-



tilis enim ulceratio; nocivam vidi in fœmina quæ & hydrope laborabat & cancro; doluit enim magis cancer, & copiosius ichorem profudit majori tinctum copia sanguinis; remittebat tamen hydrops, & cortex, quæ damna passuserat cancer, reparavit. Sed tam atroci inimicorum pari laceffita, haud diu illorum injurias tulit. Sæpe alias vidi, ubi jamdudum omnis spes integræ sanationis recesserat, morsque proxime expectabatur, kinam & scillam morbi atrociam aliquandiu fregisse vitamque sat quietam prorogasse. Variæ sunt preparationes scillæ; pura omnibus anteponenda si vim unice respicias. Sæpe grana duo aut tria scillæ, cum saccharo tritæ, anxietates horrendas, in hydrope pectoris, citissime tollunt, & vidi ægros qui, noctes plures, infomnes & orthopnoici duxerant, bihorio lapsi, sat placide obdormiscere, & sub prudenti remedii continuatione, cito sanescere. Sed, jam dixi, acre remedium purum pluribus est intolerabile; inde variæ administrationis methodi. Plures torrefactione utuntur, quæ virulentiam destruat intemerata vi; anne sat certa spes duplex adesse principium? Sponte crederem, tota est male virosa, & instar aliorum venenorum, agit ipsa vi deleteria, quam non rescindas nisi virtutem castrando; nec aliud mihi videtur



detur torrefactione obtineri, nisi virium jactura; levis torrefactio de viribus & venenosis effectibus nihil tollit, major venenum delet simul & medicamentum; utcumque majores doses tostæ adhibendæ veniunt, nec, tunc tamen, suis fraudanda laudibus. Monuit haud pridem, docta, ut solet, epistola Cel. RAST filius, medicus lugdunensis, se nuperrime granis decem scillæ tostæ, in duas doses divisis, puerum gravi laborantem anasarca, optime sanasse, profuse fluente lotio, quod sedimentum habuit diluissimè sanguineum. Similia habet, tot bonorum in medicina & œconomia feracissimus auctor, Franciscus HOME, qui eadem dosi ejusdem remedii, æquali ponderi gingiberis nupti, plures anasarcas quoque fugavit. Hæc est enim alia præparatio & antiqua, vim insensam ventriculo aromatibus corrigunt; huc additio aquæ cinnamomi fortis infusioni scillæ, anglis adamata miscela; huc quoque connubium scillæ & ptisanæ juniperi nonnullis gallis laudatum & quod utile inveni. Acetum intolerabiles sæpe excitat anxietates. Vinum est præparatorum potentissimum, sed vidi plures ægros qui illius usui assuescere nequibant, enormes enim vomendi conatus excitabat; facile verum oximelle utebantur, quod, æqua modo adhibeatur dosi, nul-



li secundum est, & quantum possit nitroso aut neutro sali mixtum, plures observationes dubitare non sinunt.

10. Quæ plures, nec immerito, magni faciunt, remedia nastursina, non semper adhibenda sunt, sanguinem enim penitus solvunt & putrefaciunt, febrimque excitant, quidquid contrariant medici qui illas plantas refrigerandi scopo, oh pulchrum caput, quotannis cum cancris & jure carniū, præscribunt. Belle succedunt in amurcosa & frigida diatesi; amaris roborantibus mixta, profuerunt aliquoties in hydrope illo quo merobibi, post longa fastidia,prehenduntur. Damnosa sunt verum, quoties jam adsunt febris, calor, sitis, sanguinis solutio, putredo, maculisque lividis jam cutis foedatur; gravissimum novi medici lapsus, qui his delusus maculis, morbum, quem scorbuticum credidit, beccabunga, nasturtio, & spiritu cochleariæ aggressus, mox omnia pessima luxit. In his casibus, iis qui indigena remedia amant, haud ignobilis occurrit ebulus, baccarum cujus inspissatus succus, sine acritatis & caloris vitio excretiones resuscitando, pluribus profuit, mollis tamen nimis medela quoties graviter jacet æger.

Conditiones quæ proscribunt nastursina mars  
quo



quoque excludunt, calor nimirum, febris, alcalescentia; sed aliis omnibus remediis palmam præripit quoties morbus oritur ex sola laxitate fibrarum, nec putruerunt adhuc humores; huic speciei hydropis obnoxia sunt virgines laxi habitus, & sedentariae vitæ addictæ; sanatur usu limaturæ martis cui addi potest pulvis aliquis aromaticus. Vicennalem puellam haud ita pridem, hoc morbo, liberavi, dragmam dimidiam limaturæ martis, & grana quinque cinnamomi sex de die præscribendo. Omnes augebantur secretiones & præsertim cutanea, morbusque sudoribus, quod raro vidi, maximam partem, discessit.

II. Plura jactitantur remedia quorum vim, facillime capiendam, fufse dicere tæderet; duo tantum perpendam, frictions abdominis cum oleo, & feri evacuationem cute.

Asciticos oleo fricare res non est nova in medicina, at in defuetudinem abierat, & haud pridem a Cl. OLIVER medico *Bathoniae* restituebatur; successit pro votis, pluresque hydro pes incurabiles creditos, feliciter, in anglia superavit. Abdomen, per horam mane & vespere, fricatur cum manu oleo olivarum madida, & post aliquot dies, profuse mingens æger detumescit. Duas habet partes remedium, frictio-

nem



nem & illitum . Hæc est vis frictionis abdominis, concreta, tenacia solvit, motum, præsertim in venis juvat, sicque liquores absorptioni aptiores reddit, & absorptionem auget; absorptos autem humores in abdomine effusos, renibus evacuari, oculis subjecit medicina experimentalis. Novi frictiones, ad cutim sæpe, magis quam ad renes, liquida ducere, sed hic obstat indoles morbi qui, ut jam dixi, expirationem insensibilem, & sudorem impedit, inde plerisque hydropicis cutis illa sicca, squalida, dura, immo, qualem vidi, penitus, nonnullis in locis, callosa. Sed dum frictio instituitur, ubi jam effusi liquores in abdominis cavea stagnant, sedulo cavendum ne fortius distringatur, rudis enim contrectatio, mollia, taboque proxima, viscera lædendo, pessime noceret: nec temere culpandi nimis qui, effusis humoribus, fricare desinunt.

Quæ læsam expirationem externam demonstrant observationes, auctam correspondentem inspirationem evincunt, & libra captis experimentis demonstratur hanc absorptionem tantam esse in nonnullis casibus ut fidem vix habeat. Jam intelligitur actio olei, absorptionem nimirum impedit, sicque unam e præcipuis causis morbi tollit. Anne forsan stricturam abdominis



laxando, & nervos leniendo, vicinitatis jure frictos renes referat? Sic suaderent pulchri successus diuretici emollientium remediorum, cassis, diu, immo noxiis acribus, in nonnullis casibus. Anne demum, ut ut primum omnem expirationem impediat, illam tamen deinceps restituit, sublato vitio cutis? Anne magis prodesset illitus totius corporis? sic antiquis creditum, qui totum disstringebant corpus solo vitato abdomine. *Quin etiam quotidie ter quaterve opus est uti fricatione vehementi, cum oleo & quibusdam calefacientibus. Sed in hac frictione a ventre abstinendum. Quid censendum de reliqua consilii parte? Imponendum vero in eum crebrius sinapi, donec cutem erodat; ferramentiisque candentibus pluribus locis venter exulcerandus est, & servanda ulcera diutius. Hæc spectant evacuationem feri, de qua mox. Crederem sane consilium CELSI, de universa oleosa frictione, aliquoties prodesse posse in hydrope; sed longe utilius foret, ni fallor, in diabete, internis roborantibus, & præsertim rheo, simul assumptis. Morbus est enim ex aucta inspiratione cutanea, quam enormem esse demonstrant, præter plures alias, observationes Cl. MELZ & KRATZENSTEIN. Anne ex simili effectu utilis in eo morbo cantharidum usus externus? Expirationem*



augent, sicque a renibus divertunt, inspiratio-  
nem minuunt, inde morbo pabulum subripitur;  
urinæ acritatem augent & difficultatem; dul-  
ciores sunt verum & faciliores urinæ. Anne  
morbus ex perversis functionibus cutis? Has re-  
stituunt cantharides. Has conjecturas tuo, om-  
niumque vere doctorum medicorum, iudicio  
submitto; clinicos, si occurrit morbus, caute  
tentare invito. Sane, auctis urinis, augeri ab-  
sorptionem cutaneam oculis demonstravit pul-  
chra observatio Cel. LINING.

Quærere liceat adhuc cur profunt frictions  
oleosæ in nonnullis cutaneis morbis, dum oriun-  
tur plerique illi morbi ex suppressa expiratione,  
& sæpissime excipiunt pinguedines applicatas  
cuti? Quia aliquoties nascuntur ex rigiditate  
nimia cutis, aut strictura ex acri deposito, cui  
utrique vitio medetur molle linimentum. Unde  
tanta, sæpe, illorum morborum pertinacia? An-  
ne ex difficili tractu sanguinis in cute? Anne  
ex difficili, ob eandem rationem, aditu reme-  
diorum? An forsan ex vitio in humore qui re-  
te malpighianum inungit, & quo deinceps, fer-  
menti modo, quidquid accedit inficitur? Plura  
id suaderent; tantæ enim pertinaciæ impar caus-  
sa videntur lentor sanguinis, & tardus remedio-  
rum aditus. Par est vero vitium retis, pars est  
siqui-



siquidem quasi posita extra provinciam circulationis, & cui inustæ maculæ difficillime eluuntur. Daturne præterea aliquoties viru in sanguine adeo intricatum ut vix subigi possit? Herpeticum dari & scabiosum nemo negare potest; herpes enim & scabies contagio contrahuntur, sensimque adolefcunt & vi remediorum vincuntur. Sed novi ægros qui a decem, quindecim, viginti annis numquam, integram diem, liberi fuerunt herpete hinc inde vagante. Quænam causa, Illustri HALLERE, id te rogo in viamque redeo.

Ter frictions tentavi oleosas, cassæ fuerunt; illis, etiam nunc, faustioribus utinam auspiciis, uti volui, antequam secunda celebraretur paracenthesis, pro fœmina cujus modo historiam narraui.

Evacuationem feri per poros cutaneos, præsertim crurum, monstravit Natura, summa enim inflatione distenta crepat cutis, & invisibilibus sæpe rimis, immo integris forsan poris, tanta funditur feri copia ut totum cito detumescat corpus, sive e cellulari textu effluat, sive e vasis ipsis exhalantibus. Ars imitatur naturam &, cellulositatem incidendo, fontes morbido latice turgidos referavit. Antiquissima hæc methodus nondum cecidit, cujus, in proprio corpore, pe-



riculum fecisse cel. *Antonium* COGCHI, virum vere doctum, etiam nunc lego; quatuor educabantur feri libræ; Cl. MANETTI narrat eventum, *alleggerimento notabile del suo affanno; ma questo picciolo bene non dura che tutta la seguente notte*. Veteres, teste loco CELSI quem adduxi & cui innumeri alii addi possent, ustione, & acribus, ipsaque scilla externe imposita, cutim erodebant. Neoterici nonnulli cantharides apponunt, sed omnibus cavendum acribus; acris enim est humor effluens, cutemque irritare, lædere, inflammare, potens. Si acritate turget quoque remedium metus est gangrænæ, in quam facilis lapsus quoties segnescit circulatio & pauperati sunt humores ac acres; anteponendæ ergo scarificationes, quæ ipsæ omni periculo non carent in ægro cacochimico. Remedium est aliud, popularibus adamatum qui scarificationes metuunt, nimirum radix bryoniæ, quam taleolatim secant, tum taleolas leniter contusas & calefactas cruribus applicant; acri suo, sed quam cantharidum mitiori, viru vasa cutanea leniter stimulat, & inde copioso latice totum crus madescit. Nihil educit primumque prima applicatio, sed renovantur taleolæ duodecim lapsis horis, & raro deesse vidi humiditatem post tertias; denovo novæ apponuntur,



eur, donec fluxus duratio certa videatur. Stupenda aliquoties, minima alias effluit hac via feri quantitas. Quisnam successus? Vidi qui sub largo fluxu pariter anxii & tumidi remanebant, dum alii omnino detumescebant. Hieme anni 1756, fœmina sexagenaria toto corpore tumida, nullum emolumentum, ex applicata bryonia, reportabat, parum enim fluxerunt crura & sine levamento.

Eodem tempore virum septuagenarium cui curando par aliquoties, jam impar erat scilla, bene orthopnœa, anxietate, & tumore liberabat bryoniæ applicatio, quæ profusum adeo fluxum excitavit, ut cruribus extra lectum extensis supponere cogentur largas patinas. Post tres dies, tanta erat laxitas cutis, quam numquam alias vidi nisi in puellulo, citissime, catharro ex vita in calidiori hypocausto, necato, ut illam tanquam crassum pannum manu prehendere, volutare, plicare possem. Tanta quoque debilitas ut lethalis syncope continuo metueretur, multumque negotii præbuerunt crura. Usu tamen nutrientium & roborantium reparabantur vires & sanabantur crura; diem vero, post aliquot menses, obiit supremum. Plane quoque evanuit tumor hac methodo in juniore fœmina:

K & sa-



& sanitatem omnino restituebant roborantia .  
 Quod auxilium his præbuit natura , fœminæ ,  
 quinquaginta & tres annos natæ , ipsa tulit na-  
 tura , orthopnoeam & crurum tumorem , co-  
 piosissimis crurum sudoribus nocturnis superan-  
 do ; mox martis & corticis usu vires resti-  
 tuendo sanitatem perfecte reparabam . Huc re-  
 ferendus rarus ille casus Ill. quondam Ruffi ,  
 Comitis ab OSTERMAN ; gravissime hydropi-  
 cus sanabatur spontaneo , largissimo , pedum  
 sudore , qui deinceps indefinenter fluens il-  
 lum omni reditu , viginti annos , liberum  
 servavit ; calceis utebatur sic paratis ut effluens  
 aqua receptaculo exciperetur , in quo , sine  
 ullo incommodo , aliquot horas , morari po-  
 tuit .

Nec hic obliviscendum pulchræ illius metho-  
 di adhibitæ , haud ita pridem , a viro dotibus  
 ingenii , doctrina , & felici praxi , nemini se-  
 cundo N. LIEBERKHUNIO qui , vim confen-  
 sus cellularis utile doctus , aquam in cellulosi-  
 tate pulmonari effusam , ad crura pediluviiis  
 descendere cogebat , tuncque roborantia adhi-  
 bebat .

De Paracenthesi quæ moneam , non habeo ,  
 aurea sunt enim CELSI præcepta . Citam ti-  
 ment alii , alii seram , utramque securus ad-  
 hibeo ;



hibeo ; tempeſtiva enim ſæpe admodum prod-  
eſt , ſera periculi nihil habet . Ubique uten-  
dum faſciatione illa quam COELIO AURELIA-  
NO jam adhibitam , LITTRIO renovatam ,  
ſuum inventum credidit Cel. MEADIUS . Se-  
ro celebrata non curat , ſed ſævas anxietates ,  
quod ægris unice eſt in votis , per aliquot ſal-  
tem dies , tollit .

Finem hic epiſtolæ imponam , quam , mi-  
randis , monſtroſis potius obſervationibus , re-  
fertam haud invenies , nullius enim ſunt fere  
uſus , ſed fide narratos habet morbos , quotidie  
occurrentes , nec plene tamen huc uſque per-  
penſos , nam , ut præclare TULLIUS , non re-  
quirunt *rationes earum rerum , quas ſemper vi-  
dent* . Diſtioni ignoſce , vir latiniffime . Datur  
HALLERO , GAUBIO , pauciſſimisque aliis ,  
ſtilo quem ſuum eſſe vellent SALUſTIUS &  
CÆLSUS , abdita illuſtrare artis Æſculapicæ or-  
gia ; pluribus impar , ſeverioribusque totus de-  
ditus muſis , diſertiores , quod fuit ſemper in  
votis , colere vetuerunt alia .

*Huc illuc vocat ægra cohors :*

Sat erit ſi utilia , utut ruditer , ſcribere con-  
tigerit , & ex opuſculo vel paululum prolati  
tibi videantur imperii medici fines ; tunc enim  
ſi quis impetat aut vulneret , intra præſidia au-



Floritatis tuæ tutus ero. Vale, diuque te  
 sospitem seruet Deus genti humanæ benevolus,  
 nec desine, tibi deuotissimum, tua beare ami-  
 citiâ, tuis consiliis doctiorem reddere.

*Lausannis Helveticorum sexdecima Maii 1761.*



APPENDIX.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

А. В. П. И. Д. X






S. A. D. T I S S O T

M. D.

O B S E R V A T I O N E S

D E

C O L I C A S A T U R N I N A .


 Equentes observationes , jamdiu  
 in *excerpto totius Italicae &*  
*Helveticae literaturae* , egregio  
 bernensi diario , publici juris  
 factas , hic denuo recudi , haud  
 ingratum fore nonnullis medicis , qui diaria  
 non legunt , speravi . Dum enim graves movean-  
 tur lites de colicis nervosis , citius componeren-  
 tur si omnes medici , quibus occurrunt , suam  
 dare symbolam non dedignarentur . Tenuis est  
 mea , qualem fors obtulit , non omni tamen usu  
 carens . Hæ sunt cæterum observationes quas ,  
 olim lectas , jam citavit in *rationis medendi* to-



mo tertio Cl. HAENIUS. De controversia differere cavebo, ultro tamen crederem vina nonnulla, venena & scorbutum, tres efficace causas quæ colicas paralyfi excipiendas excitant, nec plures dari. Acerbissimis enim colicis quotidie medeor, ex alia causa qualicumque, subsequentem nondum vidi paralyfim, non videntur bene multi alii & præstantissimi medici ubique Europæ; & hæc est mihi suspicio, quoties insequitur paralyfis, subesse unam e prædictis causis. Hæc tamen dubie propono & aliis excutienda, non sum enim qui negare velim gravissimorum virorum testimonia.

## OBSERVATIO I.

Fæmina annos nata triginta, macilenta, ter fecunda, a biennio vidua, lachrimis perfusa me sollicitabat mente Septembris anno 1753. ut vel succurrerem, vel placidam mortem inducerem. Septem lapsæ erant dies ab ultima sede, & jam ante decem, molesta sensatione, a scrobiculo cordis ad umbilicum, vexari inceperat, quæ, quotidie crescens, eo devenerat, ut toto labente biduo mortem implorare vix cessasset, morbiq; sævitia turbata mente non semel deliraverat. Insultus convulsivos, leves tamen, præcedenti nocte passa erat, nec abhinc facilis  
- fue-



fuerat digitorum motus. Morbum, utut usque-  
 dum prætervisum, non noscere impossibile erat,  
 de causa vero sciscitandum. Narravit chirur-  
 gus quæ ab anno passa erat ægra, & dixit se  
 præscripsisse, scopo phthisim arcendi, tincturam  
 antipt. Garmanni, cujus guttas XXX. bis de  
 die, cum infuso florum rosarum rubrarum su-  
 meret; cui jussu, fideliter, per integrum men-  
 sem, obtemperaverat, nec, nisi a quinque die-  
 bus, veneno desliterat. Intellexi tussim antece-  
 dentem sobolem fuisse labis hypocondriacæ,  
 nec morbi præsentis jam latebat origo: qua ine-  
 ptia hunc arcesserat Chirurgus, eadem débella-  
 bat. Flatus enim incusans, vix quicquam præ-  
 ter calida aromatica, anisum, sceniculum, cla-  
 reta, theriacam & spirituosos fatus adhibuerat.  
 Ardebat ægra, sicca, rugosa erat cutis, arida,  
 scissa, lingua; vix cyathum urinæ a triginta  
 horis minxerat; septem jam noctes insomnis  
 prorsus egerat; illa erat contracta tensio abdo-  
 minis, ut levissimum tactum metueret; illa an-  
 xietas, qua sæviorem non vidi. Tepidum bal-  
 neum ex aqua simplici suasi, in quod post ho-  
 ram descendebat, & interim injiciebatur enci-  
 ma ex olei olivarum & sir. althe. an. unc. IV.  
 hauriebatque ejusdem sirupi eandem dosim, du-  
 plici parte aquæ fontanæ calidæ mixtam, dum  
 se-



serum lactis parabatur, cujus hæc erat formula, seri lactis lib. ʒ. Solv. mann. pinguis unc. ʒ. & sem. colat. add. sir. alth. unc. ʒ. nitr. gr. XII. sir. papav. alb. & aq. naph. an. dr. ʒ. cujus unc. ʒ. omni horæ quadr. calide forbillet. Primam dosim propinabam in balneo, cui immersa remansit per integram horam, sic suadente levi lenimine, quo potiri credebat. Exeunti totum abdomen a scrobiculo cordis ad pubim tegebatur cataplasmate ex mica panis, floribus sambuci & camomeli lacti incoctis. Parvum erat solatium quod attulerat balneum, sævissimi adhuc ferociebant dolores, & nullæ succedebant evacuationes, dum spes fuerat balneum urinas educturum fore; inde, quatuor post primum elapsis horis, (citius debuissent), alterum injici jussi enema, quod pariter stetit; nec faustiori eventu applicabatur tertium ejusdem semper farinæ; tandem, nullam exspectans remissionem quandiu desiderarentur sedes, in mentem venit, novo ausu, tentare quid prodesset clister vaporaria; ope ergo syphonis climatici, vesicæ suillæ, & infundibuli doliarii, rudis quidem, sed utilis mechanicæ, traducebatur ad intestina fumus decocti malvæ, & sane pro votis successit: Sexto enim jam minuto motus in abdomine percepit ægra usquedum insolitos; decimo,



amovebantur instrumenta, mutati videbantur dolores; post semihoram mollia & durissima deposuit alvus, nona hora post primum meum molimen. Quatum injicitur enema ex decocto malvæ & sirupo althææ; nova inde sedes, jamque sat remissi dolores, ut & felicem sese exclamasset ægra, ni triste augurium præbuisset digitorum paralyfis. Circa decimam vespertinam copiosam sedem, liquidam, olidissimam dejecit, & intra noctem, & sub auroram quatuor alias, jam devoratis feri lactis lib. IX. sicque mannæ unc. fere XIV. quod notatum velim illis qui durum nodum duro solvere nesciunt cuneo, acerbos morbos molliter tractantes.

REDUX mane, ( die incipientis morbi undecima ), mitissimos audiivi esse dolores; missis sirupis althææ, & diacodii, feri singulam libram, mannæ unc. sem. & succi taraxac. unc. i. recipere volui. De die, duas copiosas, fœtidæ, anum adurentes sedes deposuit. Copiosissime profluebat turbidum lotium, quod flavum sedimentum largiter dimittebat; noctem debilis & insomnis duxit, sedes una.

12. Singuli libræ feri lactis hesterni similis dr. III. succi nasturtii aquatici addebantur; ditabatur cataplasma rutha & croco; nulli dolores; enema ex catholico quinta vespertina applicatum



etum plures adhuc fordes eduxit ; circa nonam per bihorium obdormivit.

13. Mista manna, succus nasturtii ad unc. i. pro quaque libra augebatur ; sed omni tantum semihora potabatur serum. Victus ; qui fuerat ex Jusculo pulli ; jam ex oleribus & pane concedebatur ; vespera, enema potenter sollicitavit alvum ; quinque dormivit horas ; sana mane ; immo vegeta, si digita movere potens.

14. 15. Omnia similia. 16. vespertino enemati addebatur elect. hieræ picræ ; copiosæ inde dejectiones ; lapsa hora ; devoravit bolum ex camphor. gr. XII. condit. Anthos scr. II. superbibendo fortissimi decoct. bardan. saccharati unc. V.

17. Serum, enema, bolus.

18. 7. matutina & 5. vespertina ; repudiato fero ; deglutiebat jus gallinaceum cum succis taraxaci, fumariæ & nasturtii ; vespera bolus ; optima nox ; mane, sudore madida ; digita movebat quidem, sed omni vi carebant. Ad trigesimam usque eadem remedia continuavit ; tunc optime valens, omnique hypocondriaca labe libera, pharmacie valedixit.

### OBSERVATIO II

MENSE Maji Ann. 1734. fœmina plebeja, teneræ semper constitutionis, tussi per aliquot  
men-



menses & copiosa laborabat expectoratione, quam, purulentam tunc temporis medentibus dictam, intellexi tamen fuisse tantum mucosam, ex limpha in laxo sed integro pulmone alterata. Cum mammæ præterea puero præberet, sicque duplici rivo vires quotidie profunderet, celeriter, ut relatum est, ad tabem properabat, quam præpediturus pharmacopola suavit, ut saccharum Saturni cum condito rosarum, ter de die, ad grana quinque deglutiret. Minuebatur expectoratio, & 6. penitus supprimebatur; sed, jam decima, quæ prima sit novi morbi, levem anxietatem & gravitatis sensationem molestantem in abdomine conqueri cœpit; alvus, quam quotidie deponere solebat, omnino claudebatur; quotidie crescebant & anxietas & dolores, sexta die jam acerbissimi, zonamque ferream hypocondria acerrime constringentem æmulantes.

7. 8. Continuo ululavit, nihil educuntibus aut juvantibus enematis.

NONA, mane, mandatus, anxiam anhelam, debilissimam, acerbissimis cruciatam doloribus, & brachia jam ab aliquot horis difficulter moventem inveni. Lingua, fauces, siccitate ad rigiditatem usque laborabant; sitim restinguere, dolores pacare, tentaverat largissimis haustibus decocti camemeli & anisi, quos jam pluries evomue-

rat.



rat. Theriacam oleo nucis juglandis solutam plura-  
 ries quoque propinaverat, & alia nescio quæ ejus-  
 dem furfuris. Pulsus erat parvus, frequens, cæ-  
 ler, durus. Summa debilitas, laxitas anteceden-  
 tis morbi causa, & oedema quo laborabant crura,  
 semicupium vetabant; protinus injici curavi ene-  
 ma quod habebat olei lini unc. IV. diacod. unc. I.  
 sirupi althææ & decoct. camemel. an. unc. II. A  
 collo ad pubim pectus & abdomen mollissimo tege-  
 bantur cataplasmate. Jussi ut, ea dosi, qua prior  
 ægra serum lactis, potaret calide decoctum florum  
 malvæ, unicuique cujus libræ addebant mannæ  
 unc. i. & sem. mell. unc. i. diacod. dr. i. Ut, quas  
 ludebat partes suppressa sputatio, amoverem, sua-  
 si, ejusdem decocti mollissimum vaporem, testo ca-  
 pite, ore & naribus inspirare. Omni bihorio ene-  
 ma injiciebatur; post tertium aliquid lenimnis ob-  
 servare licuit; hora nondum post quartum lapsa,  
 jamque, tum mannæ tum mellis, haustis unciis  
 circiter octo, immaniter & ad deliquium usque au-  
 ctis doloribus, lapideam fere sedem oleo innatan-  
 tem dejecit, urinamque valde fœtidam & rubram  
 copiose minxit. Per noctem, quam sævam adhuc  
 experta est, sexies denuo alvum deposuit.

10. Deerant propemodum dolores, dulci jam  
 madebant rore os & fauces, sed impotentes ma-  
 nus. Debilissima ægra, per biduum eundem con-



tinuabat potum, cui, misso diacodio, addebatur  
sirup. quinque rad. Succedebant sedes, redux erat  
sputatio, nulla tamen aut fere nulla tussis.

13. Emplastrum galbani crocatum apponebatur  
toti spinæ tractui & abdomini; & bolos adhibui ter  
de die, ex camphora, bensoe, asa foetida, pulvere  
helenii & parca balsami peruviani saccharo contriti  
quantitate, superbibendo decoctum ex bardan. fas-  
saffr. & anth. simul inferiores partes succinatis pan-  
is fricari curabam, diætamque eupeptam suasi.

Per sex dies adhibita hac methodo, 20. nimirum  
morbi, jam movebat manum sinistram, 30. optime  
valebat. Ut vero deinceps didici, æstiva imbre in-  
caute madefacta, tussique denuo prehensa, ineun-  
te decembri tabida obiit. Puerulum, 3. die post  
usum sacchari saturni, ablactatum fuisse narrabant.

OBSERVATIO III.

Vir viginti tres annos natus, gonorrhæa laborans,  
mense Septembris 1756. barbitonsoris suasu, hic  
enim Sutor ultra crepidam, saccharum plumbi ad  
grana XII. 7. matutina sumebat, jam vero post  
quindecim dies, (tribus exhaustis dragmis), fere  
sublata gonorrhæa, interna molestia, anxietate,  
debilitate, fastidio, siti vexabatur. 18. Doluit ven-  
triculus, 23. adeo increverat morbus, ut mortem  
minari videretur: repetitis, ut narravit, enema-  
tibus,



tibus, purgationibus, oleosis, 28. referata est alvus & paulum pacati dolores; sed simul ea manuum & pedum paralyfis, ut membrum neutrum movere posset. In auxilium vocatus 31. alvum, nondum satis referatam, diluente potu ex manna, medulla cassiæ, & decocto graminis placide & copiose per duos dies duci, tum, cataplasma nervis amicum abdomini imponi, curabam, & emplastrum ejusdem indolis spinæ; totumque fricabatur corpus.

A 31. ad 38. omni diei & noctis hora, potabat uncias tres decocti eringii fals. parill. & gayaci, cum melle edulcorati.

39. Præmissis clisteribus duabus, quæ copiosas moverunt sedes, bolos obtuli, quarta quæque hora, quater de die, cum serpent. virgin. camphor. asa foetid. & parca sulphur. aurat. antimon. 3. ppat. dosi; superbibendo ciathum decocti.

40. Cum nondum gauderet somno, vespertino bolo dimid. opii granum addidi; inde placida nox.

41. Malagensis vini unc. III. mane, totidem vespera, propinavi, mire inde erectæ vires.

42. Crus movit dextrum.

50. Usu eorundem remediorum, excepto opio, quo semel tantum usus sum, manus & pedes prohibitu movebat. Eupepta diæta, generosa vina, equitatio, vires omnino restituebant; nec unquam de gonorrhœa audivit.



DE  
MORBO NIGRO

L



MORBO NIGRO  
DE





VIRO NOBILISSIMO

CELEBERRIMO

J. G. ZIMMERMANNO

M. D.

S. A. D. TISSOT

M. D. ET R. S. L. S.

**B** Enevolus tuus genti humanæ animus  
 spem facit, amicorum integerrime,  
 haud ingratas tibi fore nuperrimas  
 duas observationes, quæ in obscu-  
 ras, morbi nigri, ætiologiam & praxim nonnihil  
 radiabunt.

Alias affines addere, & paulo fusius de alie-  
 nis observationibus, præceptis, opinionibus,  
 cespitationibus, erroribus demum circa gravem  
 ægritudinem, tecum fabulari mens erat: multis  
 vero impeditus clinicis negotiis, hac altera par-



te dilata, nudas, historias, festinanti rudiq̄ue at  
 fideli calamo, & enucleate, oculatus tessis bre-  
 viter narrabo.

---

OBSERVATIO I.

**V**IR sexagenarius, a quadraginta annis astma-  
 ticus, sacris litteris & sedentariæ nimis vi-  
 ræ deditus, debilis compagis, robustioris quon-  
 dam, quem jam ter verno tempore annis pro-  
 xime lapsis, sævis remittentibus febribus decum-  
 bentem, aspirante numine, sanaveram, e po-  
 strema resurgens maligne vires recuperaverat.  
 Sed mutato cælo æstivis mensibus, mis-  
 sisque simul studiis, bona per aliquot menses  
 fruebatur sanitate, (haud molestum enim ast-  
 ma,) nisi quod subinde colicis premeretur do-  
 loribus, de quibus parum sollicitus, medicinam  
 aspernabatur. Sub finem anni incresebant dolo-  
 res ad scrobiculum, umbilicum, dorsum, pasto  
 vel ex selectis alimentis molestissimi, & simul  
 debilitatem excludentes, ut sæpe deficere time-  
 ret æger. Dolores lenibat dum genubus flexis,  
 cubitis in sedile, curvo trunco, nitebatur. Fla-  
 tus, damnose pathologus incusans, illos pota  
 cof-



caffé aut spiritu cerasorum, quæ vires simul erigerent, æquo sæpius fugare tentavit; tepidis potibus, non sapientiori consilio, intermixtis. Extra dolores debilis, sponte defessus, defetiscens; alvinæ dejectiones crudæ, liquidiores, crudum lotium; cæteræ functiones intra sanitatis cancellos.

Nona martis festinanter mandatus invenio; quo mox depingebam positu debilem, pallidum, & coram aspicio atrum rubrumque sanguinem, vomitu ad selibræ fere, post sævos dolores, sævam anxietatem, deliquium, mox a prandio ejectum. Remissi dolores & anxietas. Facilis idea morbi; ex diu infarctis jam ruptis vasis hæmorrhagia interna. Facilis indicatio; utinam tutus eventus! lethum indixerat HIPPOCRATES. Spem tamen erigebant superstites vires, pulsus mollis, æquabilis, minime febrilis; & similes casus quorum faustus exitus.

Effusum diluere sanguinem, ne putresceret arcere, evacuare, novi effusionem præpedire, cavere ne deficerent vires, imperabat attenda morbi contemplatio, & animum addebant quos observaveram successus in eodem morbo.

Quæ omnibus satisfacerent jussi 1. quietem in lecto, levibus tegumentis; 2. cibum ex cremore hordei (ptilana colata HIPPOCRATIS) vel



avenæ ægro sapidiori; 3. copiosum potum amigdalati parca sed frequenti dosi; 4. bis de die molle enema.

Dum parantur, tepidam ano injici curavi, quæ vix excrementa, copiam vero atrii & piceæ sanguinis, partim liquidioris partim in grumos ad ovi gallinacei magnitudinem concreti, qui fœtali vasi adeo adhærebant ut vix excuti possent. Vera hæc imago atræbilis veterum; aderat ergo *morbis niger* HIPPOCRATIS. Vespera aliud injectum enema similia eduxit.

Crassina die morbi secunda, tertia, quarta, quinta, doloribus, anxietate, nausea liber, aliquot singula nocte dormiebat horas. Dejectiones nigræ; urina tenuis; redibant vires. A præscriptis unguem latum non discedebat.

Cum ex virium instauratione clausi demonstrarentur rivuli, quod collectas evacuaret fordes, tamarindorum decoctum præscripsi; septies alvum movit; in ultima sede dilutior nigredo, flavi nescio quid; jam bona mixta malis.

Septima post enema excrementa naturalia. Concessi radices tragopogonis cum pauxillo panis.

Nona per horam, post pastum forsan paulo plenior, sum a anxietas; deficit æger; vomitu nonnihil diluti sanguinis ejicit. Panem &

radi-



radices exulare jussi . Nihil non in matula naturale ; anxietate & dolore caret . Pleniori paulo diætæ , e vegetabili præsertim regno , sensim affuefcit . Valet quantum datur corpori senescenti , multis fracto & gravibus morbis , diuturnis doloribus , curis , larga hæmorrhagia , tenui diætæ . Debilis inde vita ; & si alimento ventriculus denuo gravari videtur , lacte vivat suavorero .

Fuit ergo , quod jam monui , morbus hæmorrhagia interna , materies nigra sanguis corruptus ; nec alius tibi de morbo conceptus . Quærent forsan alii :

1. Nonne fuit bilis atra ? a summo parente degenerare tædet ; nec finit tamen veritas affirmative respondere . Sed negationis rationes adducere , & num atrabilis sic vere dicta ens sit aut non-ens trutinare , vetant nunc alia .

2. Quis morbus ante hæmorrhagiam ? Infarctus vasorum ventriculi & intestinorum . Inde *a* ex compressis nervis dolor . *b* Ex compressione majori , distentis post partum membranis , incrementum hoc tempore . *c* Remissio dolorum post hæmorrhagiam ; & optime consentit morbus noster cum observationibus quas publici Juris fecit Cl. KÆMPFF qui causas cadaver sciscitatus , responsum tulit arterias gastricas atro-turgidas



gidas sanguine. Intelliguntur *d* liquidiores dejectiones, crudum lotium; nam ex perturbatis ventriculi functionibus cruditas. *e* Qui probe noscet quot causis mutari possint vis sanguinis in vasa, & nervorum sensibilitas, facile capiet incrementa, remissiones, & alternationes morbi.

3. Quanam causa remota? *a* Laxitas vasorum e febribus, laxant enim febres, & molliente virtute remediorum quibus febres debellatæ inducitur. *b* Defectus motus quo juvaretur circulatio in gastricis & intestinalibus vasis. *c* Positura ægri libris intenti. *d* Coffé, spiritus cerasorum, potus tepidi. *e* Frequentior usus, per plures annos, antimonii emetici.

4. Nonne dantur majoris efficaciam remedia? Dantur, & a bonis adhibentur viris. Mox vero perspicies, suavissime ZIMMERMANNE, qua polles sagacitate, doctrina & medica experientia, cur illa inutilia aut vetita crediderim. Parvi aut nihili esse in hæmorrhagiis venæ sectionem, modo non nocivam suadent & ratio, & haud contemnendæ auctoritates pondere non numero æstimandæ & propriæ observationes. Vetabant nunc infirmæ vires; ἀναμωσις ex longa valetudine & defectu coctionis; pulsus molli-  
lities;



lities; longævum asthma a quo ad hydropem pectoris facilis lapsus.

Emesim venerandis, ex falsa theoria, commendatam codicibus, atro notabant carbone ratio, & unanima medicorum consensus. Integris permessa vasis vomitum sanguinis haud semel excussit; quid fractis? Acerbum sane lethum.

Ad evacuantem indicationem facere videbantur purgantia; sed, ut de mitissimis, (veneni instar sunt cætera,) metus est *a* ne in sensibili & nauseoso ventriculo emesim adeo nocivam cieant. *b* Motum intendunt & nocent motus. *c* Citior nociva evacuatio; sicut enim in externis vulneribus rudius evulso thrombo nova succedit hæmorrhagia, sic & in internis. Quidquid boni promittunt purgantia, solvunt clysteres; diluunt enim & leniter sine irritationis vitio peristalsim excitando contrarios ad nauseam motus sedant, tanti inde in morbo vomitu.

Potus desideraretur forsitan alius, qui magis resolveret aut acidior foret. Sed dum resolventium sic dictorum catalogum evolvo, scædans acrimonia ubique occurrit. Illa est præterea diameter intestinorum ut & crassis thrombis facilem præbeant viam. Inutilis ergo integra dissolutio, etiam nociva, inde enim facilior nociva resorbatio.



Multi faciunt, nec immerito qui utiles de morbo nigro conscripserunt observationes Cl. NAVIER & BONTE, spiritus acidus & præfertim aquam Rabelii, quam longe tamen mero spiritui vitrioli postponerem; & verum est mire putredinem arcent, calorem & febrem retundunt: carebat febre æger, mitis nec supra naturalem calor; aberat ergo citæ putredinis metus, & huic indicationi satis erat, quo melius nonnullæ aliæ explerentur, amigdalatum.

Hæmorrhagiam & putredinem augere, febrem arcessere aptam diætam animale indicationes vetabant. Quæ diluit, demulcet, nutrit, sedat tot sacra sæculis ptisana omnibus alimentis palmam merito præripit.

Quibus erigerentur vires cardiaca, inepta sic dicta voce, suadere videbatur debilitas; causam verum respiciendo noxia deprehendebantur: ex illorum enim usu increscens profluvium vires cito pessundedisset vitali latice in intestinis effuso. Volatilia ergo, spirituosa, id genusque alia non morbum quidem sed ægrum cito jugulassent.

5. Anne firma spes non rediturum morbum? Nequaquam. Arduum est enim opus, & quod, effœta natura, vires artis superat, in laxo corpore, laxissimæ parti suum robur restituere.

Hæc



Hæc sint satis, Carissime ZIMMERMANNE,  
de hoc ægro; tristiora jam narrabo.

---

OBSERVATIO II.

S Agax & peritus artifex, honestæ & fanæ  
gentis, sextum emensus lustrum, illibatæ  
per plures annos sanitatis, juvenis, elegantis,  
vegetæ maritus uxoris, casu occurrens meam  
ante biennium imploravit opem quo lenirem  
ventriculi dolores adeo fævos ut vires, paroxif-  
mi tempore, fere pessundarent. Successu, ni  
fallor, primum caruit tentamen. Graviorem in-  
de suspicatus causam diætam albam & quantum  
memini medicamentum suasi nescio quod; me-  
moriam enim partim excidit hæc observatio, nec  
in adversariis reperitur. Obvius post aliquot  
hebdomades sinceram gratam, ob meliorem sani-  
tatem, mihi referebat. Illum abhinc numquam  
alloquutus didici deinceps resurrexisse morbum.

Die 23. Martii mensis hora undecima man-  
datus, debilissimum invenio, vix loqui poten-  
tem, aceti odore ne deficeret continuo refocil-  
latum. Cadaverosa erat facies, pulsus adeo c-  
tus & parvus ut vix & carpo quidem altius,

in-



inveniri, inventus numerari posset. Nullus dolor; inane deijcendi desiderium fatifcentis naturæ signum haud dubium. Sic narratur historia morbi.

Ineunte lapsa æstate, suasu medici qui splenis, pancreatis, hepatis obstructions inculabat, nova remedia expertus erat, quibus cassis, sub eadem tutela, thermas Leucenses, contra monente Perillustri HALLERO, adibat potu balneoque utens. Martiales sunt ut noscis Leucenses fontes, & in morbo nostro martiata, mineralesque aquas damnosas res esse monstravit Cl. KÆMPFF. Redux tamen per quindecim dies, nec ultra, valuit. Sed fallaces induciæ; quotidie enim increvit morbus. Acerbis tota hieme vexatus doloribus ad scrobiculum & renes, vomitu sæpe rejecta aqua limpida, vix ulli par alimento, juleculis & panibus pistoriis necio quibus (*lecrelets*) plures hebdomades vixit. Noctu inter 21. & 22. post vehementes dolores alvum deponere coactus familiaricæ fellæ insidens fere defecit. Lecto redditus summa premebatur debilitate. Diluculo accersitus medicus viribus prospiciens, prima est enim vitalis indicatio, Stimulantem præscripsit potionem frequenter sorbillandam quæ habebat tincturam castorei, syrupum corticis citri, & aquam melissæ.



Incrementum debilitatis, copiosæ dejectantur nigrae materiae. Sub vesperam praescribitur potio ex tamarindis, extracto rhei, sale acetosæ cochlearum & saepe bibenda. Post illius usum inceptum ore jam evacuantur alvinis similes materiae. Sincope sinopem presso pede sequitur; seponitur remedium purgans; in pejus omnia fiunt; meridie diem projicit.

Et suis fororibus ventriculi doloribus vexatis, & omnibus ægris benevoli, popularibusque praedictis liberi fratres, de patefacienda tam sævi morbi causa, cadaver secando cogitant. Rogato adesse cum alio medico en quæ offendit sectio.

Summa externi corporis macies praesertim ad spinam dorsi, quod tabem dorsalem olet; eundem oluit morbum mitigatio morbi dum paulo diutius domo aberat, & huic causæ adscribenda forsitan morbi remissio dum Leucenses thermas habitavit. Nulla adhærentia, nullum in pectore vitium, nisi pallor & inanitas cordis, pulmonum, vasorum. Sectis tenuissimis abdominis tegumentis & musculis, deficiente omento, proprio loco, proprio posito turgens occurrebat ventriculus. Intestina hic rubra, hic nigra flatibus distenta erant, & intestinis cadaveris inflammatione intestinorum jam gangraenosa necati similia, nisi quod foetidus abesset odor



odor & nulla invenirentur vasa. Eadem delectio vasorum ventriculi, & ne unum quidem attente lustranti videre contigit. Parvus lien; æquæ magnitudinis jecur; nullum ne minimum in utroque viscere vitium nisi dilutior color. Parva vesicula fellis præter aerem nihil habebat. Patens ductus choledocus. Omni nævo carebat pancreas. Sani renes. Infantia ergo viscera male culpata, & mox pro illis causam dixerunt ventriculus & intestina; apertis enim sanguis ater a cardia ad anum ubique effluit; ex potu fluidior minusque niger in ventriculo, a quo magis discedebas eo nigrior & tenacior; nigerrimus, piceus in crassis intestinis. Ubi rubedo minus ibi & fluidioris sanguinis; multi & nigerrimi fidem faciebat nigra intestinorum facies, quorum membranæ sanguine repurgatæ omnino albescebant. Quæritur nunc

1. Quænam causa mortis? Hæmorrhagia, ex qua debilitas, syncopes & inanitas vasorum, quæ multos retro menses parum cruoris habuerunt.

2. Quisnam morbus ante hæmorrhagiam? Infarctus vasorum ventriculi & intestinorum; morbus quem præ Cl. KÆMPFFIO nemo pinxit graphice magis. Chronica si lubet inflammatio.

3. An



3. Anne exitus prævideri potuisset? Sic magnus parens. *Ex lumborum dolore ad os ventriculi recursiones cum aquosorum vomitu cæ in nigrorum vomitionem desinunt.*

4. Quænam medela ante hæmorrhagiam? Diæta vegetabilis; parca alimentorum dosis; mitissimi vegetabiles saponos, & præ aliis ferum lactis cum extracto sambuci, parva, frequenti dosi; enemata demum, merito a Cl. KÆMPF-FIO laudata, cujus cæteroquin longe minus arident alia medicamenta; dum & acria multa & irritantia habet, quæ quomodo prodesse vix ne vix intelligere datur.

5. Quænam medela post hæmorrhagiam? Ad primam observationem descripta.

6. Quænam superato hæmorrhagiæ periculo prophylaxis? Cavere ea quæ plethoram generare, motum augere, acrimoniam fluidis impertire, intestina irritare valerent; tum roborantia sine stimulo subjungere. Ni enim diuturna distensione laxatis vasis suus restituatur tonus, novus foret pulsus infarctus. Verum est, quod sollerter monebat Ill. REDI in amœnissimis illis epistolis, quas vel solius elegantiae causa volupe est legere, naturam sibi sæpe sufficere, tenuique & leni instituta diæta spem esse quod *in processo di tempo per solo ufficio di natura sè*



*corroboret anno le fibre de' vasi sanguigni*. At gravi labe, lapsu temporis, genita, arte juvare naturam prodest. Hic ut toties alibi palmam meruit plurimum palmarum cortex.

7. Anne ægro profuissent hæmorroides? Sic sane Stahliani, qui morbum colicam hæmorroidalem dixissent. Et revera cum ex anastomosis totum sistema vasculorum consentiat, non dubium est quin ex hæmorroidum fluxu lenimen dolores accepissent: verosimile est enim non ubique intestinorum aperta vasa, sed ad ramum alicubi ruptum e cæteris ramis confluisse sanguinem; & ruptis vasis hæmorroidalibus eadem successisset evacuatio, eadem dolorum remissio; fidem faciunt similes observationes.

8. Anne tentandum provocare hæmorroides? Minime: nam *a* ut recte scripserunt inter alios viri magni nominis SANTORINI, RICHTER, GUNZ, HEISTER, TRALLES, ut sagaciter & doctissime pro more, nuperrime demonstravit Ill. HAEN, ut plures me docuerunt observationes, raro beneficium & flebile quidem beneficium sunt hæmorroides. Hæc est mulierum fors, menstrualis fluxui obnoxie sunt; quot inde calamitates? In eadem pericula incurrunt homines simili fluxu vexati.

*b* Periculi plena res est hæmorroidum sollicitatio



ratio in tali morbo ; ea enim remedia quibus aperire conamur ramum qui anum irrigat , citius forsan illum solvent quo nutritur ileum ; adversa omnia veris morbi indicationibus ; duplex ergo metus & lethi & increfcendi morbi .

c Sagaciffimas habet diftinctiones Ill. HAEN circa effectus fluxus hæmorroidum pro variis apertis vafis , quæ noftram fententiam optime firmant ; lubenter tamen fateor , non tanti mihi videtur a quonam rivulo fluat cruor.

d Hac via fugatus morbus , ne redeat metus eft quoties eadem reftituta quantitas fanguinis ; colicas æmulans menftruales , periodice menftrua antecedentes , horum fedandas fluxu & in æternum redituras nifi remediis præpediantur .

Palliativam ergo tantum curam pollicentur hæmorroides , & incertam & periculofam , cui inepte crederetur . Nequaquam ergo excitandas , nifi excitantia dicas mollia enemata quorum tanta in hisce morbis efficacia . Non fum , abfit ! qui colicas noftras molimina hæmorroidalia credam ; fed re pofita , nihil non quo præpediretur fluxus tentarem ; quia poftea , ut monet HEISTERUS , præter morbi spurcitiem & moleftiam , ab earum fortuita obftructione , ( addere potuiffet copiofiori fluxu ( innumera facile mala oriuntur .



Plura corollaria practica e nostris observatio-  
nibus fluunt. Unicum excitabo; rem nimirum  
esse majoris quam vulgo creditur momenti, diu-  
turnos, sævos, ventriculi, lumborum, intelli-  
norum dolores. Dámnoſa sæpe, immo lethalia  
esse remedia illa adeo decantata, amara, aro-  
matica, spirituosa, calida, acerba; & optima  
stomachica refrigerantium familiam haud raro  
præbere.

Quot quotidie funera ex detestando illo præ-  
judicio, quod infantibus flatibus, quoties dolent  
intestina, toties calida carminativa opponit?

Fidem solvi dictis de morbo nigro nuperis  
observationibus; sed diem obiisse ægrum alium  
post sævissimos ventriculi dolores audio. Præ-  
missa morbi historia, quid exhibuerit cadaver  
paucis narrabo.

---

### OBSERVATIO III.

**P**Lebejus homo triginta sex natus annos, per  
quinquennium inter Anglos classiarius, &  
redux vi Borussicæ adscriptus militiæ quingen-  
tisque spoliatus florenis germanicis, dolens &  
anxius per novennium belligeravit, Pugnæ ad



Collins occasione arrepta desertor in patriam secessit, & operarius, typographicum prælum ducere primum tentaverat, sed motui illi im-  
 var pictum vias reparando quæritabat; haud se-  
 mel, ut ut ad labores impiger, sævo ventricu-  
 li dolore quiescere coactus.

Lecto demum, sic cogente morbi jam conti-  
 nui sævitia, affixus, elapso autumno levamen  
 sollicitabat. In morbi symptomata accurate in-  
 quirens nullas inveni læsas functiones, exceptis  
 somno cui officiebant dolores, & intestinali  
 evacuatione tarda adeo ut alvum perpetuum  
 fere clausam haberet. Fastidium nullum, nau-  
 sea nulla, nisi mala copia ægrum sollicitaret  
 stomachum; sed acutus, continuus, exacerbans  
 sæpe, remittens numquam dolor, passu prææ-  
 tim augendus, cujus sedes intra arctos conclu-  
 sa limites, pars erat media inter mucronatam  
 cartilaginem & umbilicum.

De sævissimæ ægritudinis causis intento ani-  
 mo, pares tantis malis vix occurrebant præter  
 intestinalem calculum aut scirrum, & læsionis  
 quidem in hepate suspicionem inducebat perti-  
 nax tarditas alvi quam confirmabat hypocondrii  
 palpatio, dum limbum hepatis inferiorem æquo  
 duriorum ostenderet; sed cum limbos costarum  
 parum excederet, *difficile iudicium certum*. Lo-



cus dolens vitio quod tangeres carere videbatur si leniter palpare; a forti pressione desistere cogebat immanis dolor, subditi morbi in pancreate indicium.

Nullum antecedentem morbum culpabat; sed scirro generando pares militiae labores & longa anxietas. Calculum adesse nonnulla suadebant; abesse suadebant plura. Scirrum ergo, modo nondum perfectum, solvere unice intendi & eo lubentius, quod huic indicationi parata remedia, contra calculum si adesset, profutura certe confidebam. Acerbe vero dolebam hanc infelicitatem quæ selectissimis medicamentis, sero autumno nequaquam obtinendis, carere jubebat.

Tenui tamen imperato victu, quos ferebat tempestas mirrissimos saponis devorari, mollissimos fatus applicari, enemata bis aut ter de die injici curabam. Nullum inde levamentum sed fastidium. Nihili fuit aqua mineralis arte parata. Num sedantia aliquid prodesse periclitanti, male successit. Missis demum omnibus remediis, solo lacte cum aqua & pauxillo mellis vivere suasi. Nihil inde solaminis, nullæ morbo induciæ, nisi per aliquot noctis horas ex opio, quod singula vespera medio Januario concessum, singula jam aurora plures ante mortem hebdomades concedi voluerunt humanitas & religio,



ligio, tantos, tam inutiles dolores hominem pati horrentes, dum quo illos leniamus medicamentum benefica manu nobis largitur Numen.

Non ignarus eram omnibus adversari indicationibus opium; *a* vim ventriculi frangendo, quod evictum dedit omnis cibi fastidium sub finem morbi; *b* alvi pigritiam augendo; *c* concreti solutionem impediendo; *d* remediorum vires castrando; *e* vires animales dejiciendo. Sed dolore pejus nihil, & conclamatis rebus, unicum superest lenimen dolorum.

Mense Februarii alius Medicus sanguinem demi curavit: & utili sane consilio *humidum radicale* detrahitur homini, ut ut morbo, inedia, remediis, doloribus, somni defectu jamdiu exhausto, si spes inde contractam fore morbi longitudinem. Anne alio scopo instituta illa V.S? *Davus sum non Oedipus.*

Nullus icterus. Ultimas vitæ hebdomades ululando egit, mihi que non semel interni cancri, superstitionis plebi rodentis serpentis, timorem incussit. Facilis, æquabilis, toto morbi tempore respiratio, eo tenore ad extremum diem non discessit: & remissis tantillum doloribus, leviter per horam turbata mente, libero pectore, quinta matutina primæ Aprilis, ultimam animam traxit. Vix a naturali dissetit pulsus, nisi debilitate,



Viri hexapedalis, quadrati, quinquaginta libras ponderasse cadaver vix crederem, mihi que assentiunt & Chirurgus Sector & Juvans Operarius. Dura, fœda cutis; tenues, marçidi, nigrescentes abdominis musculi; tenuissimæ membranæ palmare fragmentum pro omento. Fœdi aspectus intestina. Externam duodeni membranam, pilorum, proximam ventriculi partem, adjacentia intestina saturata fœdabat flavedo. Vacuus & omni labe carens ventriculus, sed ad sinistra nimis devolutus latebat sub hepate, quod immensum, nullibi adhærens, tertia costâ altius ascendens, lieni continuum erat. Tuberculis ubique illius hirsuta superficies, tactu lapidea durities, nisi in ea parte, qua illud subit portarum vena. Cultro anatomico, cartilagine longe durius, & recentis ossis firmitatem fere æquans, vix cedebat, sub sectione hinc inde ex arenula crepitans. Omni orbem sanguine, caefei recentis colorem habebat; ad cavam tamen & mediam partem, a flatu naturali paulo minus discedens. Resectum frustum marmoris gravitatem superabat. Lobus inferior durissimus, & maximus omnia vicina comprimebat.

Vesicula fellis parva, cylindrica, bilis fluidæ & nigerrimæ parum, concreti nihil, habebat. Lien æquo paulo major, subnigri coloris, atro,  
flui-



fluido sanguine turgidus, quem facillime, parvo inflictō vulnere, effundebam: ut vix dubitare liceret de effusione intra cellularem, quæ vasa sustentat, & nectit, aut ea amastomosi, qua ex unico vase alia evacuantur; ab induratione, quod notatu dignum, adeo alienus, ut effluxo cruore marcesceret.

Nec diutius quærenda dolorum causa; ventriculi enim acerbos dolores ex hepate scirroso quis nescit medicus? An vero insons pancreas temereque culpatus? Remoto ventriculo res in apertum ponitur; occurrens enim illud viscus, ter æquo majus, hepate durius, magis arenaeum, ejuldem coloris & gravitatis veram dolorum causam optime ostendit: utrinque enim ventriculus inter lapidea viscera ut inter præli parietes comprimebatur.

Immo partis mediæ inferioris pancreatis illa facies quæ cancrum minabatur, lividi nescio quid exhibens, & tumores illos ex expansione textus cellulosi quos pathognomonicum signum cancri aut præsentis aut proximi credo. Nulla in toto abdomine nonnaturalis adhærentia. Alias cavitates, quas vitio carere demonstrabat historia morbi, sic hora sepulturæ jubente, intactas lubenter reliqui. Jam diu ut videtur perfectus fuit cirrus; nihil ergo prodesse potuerunt remedia.



Tuam non fugient perspicentiam momentosæ cautiones , quas respicere medicos hæc suadet observatio , cui diutius immorari tædiosum . Quam eadem obtulit hebdomas , minoris quidem momenti , non tamen flocci faciendam , addere liceat .

Puer quatuor annos natus , infantili tibi usu corticis peruviani & extracti trifolii fibrini , nuperrime ereptus , mane in lecto , cum levi ani pruritu dejecit simul & teretem , & nascentem tæniam ; filum nimirum crassum , album , æquabile , viginti quinque circiter pollices longum , quatuor aut quinque circumvolutum gyris ; iisque omnino similem , quas in fontibus Sueciæ invenit Ill. LINNÆUS , & in fonte Helvetico amicus medicus . Tales frequenter exhibere pisces monuit Perill. HALLERUS , cui nihil non in historia naturali notum ; similes vero ex humano , & infantili corpore ejectos legisse aut audivisse non memineram ; mox vero didici a veridica matrona id aliquoties filiaæ suæ ad decimum usque annum contigisse ; a quindecim vero annis nullo vexata est symptomate quod tæniam oleret . Iter festinans , suscipiens quo momento mihi offerebatur , illam in lacte servari haud jussisse pœnitet , accurate redux perpensus 1. num motu aliquo donabatur ; 2. num in lacte



laſte increviſſet; 3. an reſecta ex ſingula parte novum prodiiſſet totum? Notari quoque velim *a* quam inepte, & id plures jam docuerant obſervationes, ſolitaria dicatur quæ cum teretibus hoſpitabatur. *b* Novo teſtimonio adſtruitur vis anthelmintica corticis peruviani; veram cauſam generationis vermium eſſe debilitatem ſiſtematis gaſtrici, veram medelam hujus roborationem evincitur. *c* Accurate obſervabo num in poſterum rænia laborabit. Plures vidi, qui, illa quondam liberati uſu remedii, quod alias Chirurgus *Noufer* nunc ejus vidua venditat, paucos poſt annos denuo detenti erant: falſum igitur, ejecta olim, aliam numquam generari. Quid docuerit cadaveris ſectio dixi, quid profuerit vivis dicam.

Firmæ compaginis, illibatæ ſanitatæ & famæ virgo, triginta nata annos, ſævam (viginti octo labuntur menſes) conqueri inceperat cephalæam; de qua, jam debilis, poſt aliquot hebdomades me adiit. Diu noctuque ſæviebat morbus, & ſomnus oculos fugiebat. Sedes ſævioris doloris quam aſſe texiſſes, erat angulus internus poſticus parietalis dextri, conſentiebat vero totum anterius caput & ea erat morbi rabies ut comburi alias, alias ſindi crederet. Lacrymoſa vere ægritudo.



Rurigena ruris vitam degebat, & rarissime illam videre contigit; mater vero aut socer fideles nuncii de morbo referebant. Quidquid suadebat ars, quantum artem callere mihi datur, expertus sum, docilem nactus ægram, dociles custodes. Lenimen, sed breve, ex cruentis cucurbitulis dolenti applicatis parti; paululum diuturnius ex larga supuratione quam excitarunt cantharides capiti impositæ.

Nihili fuit venæ sectio; nihili sectio arteriæ temporalis qua Conradum GESNERUM, haud abfimilem morbum ante ducentum annos sanasse, in summi viri epistolis olim legisse memineram; nihili pedum tepida, nihili totius corporis frigida immersio, & frigida capiti instillata duccia; nihili opium ter adhibitum; nihili fetaceum quod tanti fuerat ægræ de qua loquitur RUISCHIUS; cassa omnia.

Regulariter fluxere menstrua toto morbi decursu. Nihil in sanitate per plures menses culpandum præter dolores & continuas fere vigiliis. Sed a quindecim circiter mensibus, fractis continuo dolore & somni privatione viribus, lecto virium defectu affixa ægra, labascere incepit machina. Successive accesserunt fastidium; colicæ; vermes & tænia & teretes quos tunc usque ignotos plures lapsa æstate, & abhinc

haud



haud semel deiecit ; palpitationes tantum non  
continuae ; anxietates ; totius cutis dolores .

Quam tota hieme remediis carere iusseram ,  
novo vere miseris eripere unica videbatur via ,  
si locum dolentem , lato vulnere ad os usque  
incidi curarem , ut sic scissis nervis cutaneis aut  
musculosis ineptus dolori redderetur . Certus  
enim eram nihil infra cutim & musculos esse  
quod dolere posset , & curationem vix dubita-  
bam , nec tentamen impedivisset dubitatio , cum  
dubia spes certa desperatione sit potior . Fa-  
teor , causa doloris , infra doloris sedem , pote-  
rat esse vitium aliquod in osse quod musculos  
molestè lacefferet , & tunc quidem morbo fa-  
nando impar fuisset incisio , sed & morbum pa-  
tesfaciebat & remediis & terebrationi viam pan-  
debat . Operationi arrisit animosa ægra , pauci  
habens sævissima tormenta modo remitteret mor-  
bus . Illam fecit Chirurgus die duodecima Apri-  
lis , cruciatim cutim ad pericranium usque inci-  
dendo , ita ut singula incisio duos pollices lon-  
ga esset . Largam supurationem excitari curavi ,  
& tertia post operationem die nudum pericra-  
nium decies acuto ferro irritavi sine ulla sensa-  
tione ægræ de irritatione primum immonitæ ,  
tum monitæ . Septima eadem repetii experimen-  
ta cum pari successu , stupente & probante

Chi-



Chirurgo, qui pluries deinde simili eventu rem tentavit. Caret ergo sensu pericranium. Clausum vulnus quinta Maji die.

Beata ultra spem, quo momento fissa cutis, sævo dolore caruit, qui numquam deinceps rediit. Dolor gravativus capitis paulatim discessit, & nihil nunc queritur, nisi debilitatem, palpitationes, dolores cutaneos truncum artusque occupantes, & fastidium. Redit tardo gradu, redit tamen, somnus. Sed hæc omnia, cachexiæ ex quiete & vigiliis sobolem, fugare spem faciunt ætas & animus ægræ.

Nauseosum ventriculum utiliter jam sollicitavit Ypecacuana. Rheum bulbo ari mixtum fordes intestinales solvet, educet; viscerum tonum excitabit, motum peristalticum suscitabit; gastricas vires roborabit. Curam absolvere confido usu ferri & Kinæ; modo nondum corrupta organisatio totius systematis externi capitis, quod timere suadent duratio & pertinacia morbi; tunc enim vicinitatem mox pati metus esset, sed & id ad doloris curationem nihil attineret, & hæc infelicitas, quam arceat Deus, tardior tantum usum remedii non vero inutilitatem tempellivo tempore evinceret. Quæ causa morbi? Remotam nullam inculavit præter graviores farcinas capite gestatas. Proxima fuit

acer-



acerrimus humor firmiter infixus nervis, & huic forsan satis notabili duri nervi ramo hic sedenti.

Quodnam corollarium? Mollem nimis hodie medicinam, mollibus nimis deditam remediis, generosioribus inepte valedixisse. Rarius respicitur ad HIPPOCRATIS observationem: *quæ medicamenta non sanant, ea ferrum sanat*. Sed in defuetudinem, quod lugendum, abiit mascula illa medicina, impares doses, inermia ossa remedia, heroicis instructa, antiquis dilecta; Arabibus, SENNERTO, ETMULLERO, STAHLIO, HOFFMANNO, Germanis, Italis & Gallis, tum superioris, tum nostri sæculi plerisque, tempta; C. GESNERO, TORTI, HALLERO, & paucis inter recentiores aliis, adhibita, nondum vero restituta.

Ferax morborum hiems alias utiles nec paucas præbuit observationes, sed tot calamitatum tædet, & de aliis te volo.

Epistolæ (\*) meæ Cl. RONCALLI editionem alteram, quæ menda primam adeo spurcarant, ut hic deficeret sensus, abnormis illic esset, iis repurgatam jam jam accepisti. Quo, tunc in-

quie-

---

(\*) Quæ sequuntur 12. Decembris jam scripta erant, sed in thecis variis ob causas huc usque reposita.



quiebas, secundis mandatus prælis libellus, quo carenti medicinæ nihil opum accederet? Non sum qui regeram; inanem fateor carthulam, si plena hæc dicatur, quæ aut novi aliquid proferat, aut obscuriorem adhuc veritatem dilucidet: nec inutilem tamen sponte credam, qui hominum levitatem, attenta nimis doctus observatione, optime noverim, ea facilitate quæ ætorem acriter expositum amplectuntur, eadem illum semel risum temnere.

Dum aliis operibus jam famosus Comes RONCALLI PAROLINI in inoculationem sævus insurgerebat, metus erat, levis quidem, ne & nomine auctoris & vehementia stili, permoti levitantes ceteroquin lectores, noxiam crederent quam noxiam exclamabat methodum Brixienfis Æsculapius; acerbaque contumelia peremptalis illis videretur ratio. Imminenti occurrere periculo hæc visa unica ratio, si ostenderem ne vel minimum inoculationi adversari totum opusculum;

... *Magnus sine viribus ignis*

*Incaustum furit* ...

Fateor tamen, quod jam in ipsa epistola monui, hanc non assumpsissem litem, nisi viri nobilissimi, nec unico nomine litteratis chari, illam dum effugiebas, urbanissime mihi demandassent.



dassent . Quam selegerat conviciantem metho-  
 dum Cl. RONCALLI placidior mens calcare  
 vetabat : Quidni vero *sine felle Jocis* repulsi-  
 sem , qui argumentis repelli nequit dum & ar-  
 gumenta longe ipse seposuit ? Famæ fidens iram  
 suam inoculationi lethalem credidit Cl. Comes ;  
 dissentiri contigit . Queretur forsitan epistolam  
 meam longe dissimilem illi quam Ill. HAEN in-  
 scripseram , nec dissimilitudinem diffiteor ; inju-  
 sta tamen sane querela , omnibusque talis vi-  
 denda , qui Haenianum & Roncallianum evol-  
 ventis opuscula , quantum omnimodo inter se  
 discrepent videbunt . Nec te , mi ZIMMER-  
 MANNE , hujusce differentię altera latebit ra-  
 tio , qui probe nosti quanti Vindobonensem Pro-  
 fessorem faciam , quanta eum prosequar vene-  
 ratione , quanto amore , mihi consentientibus  
 medicis omnibus . Luxi cum illo luctam insti-  
 tuere , impar sane pugil ; & de re minus mo-  
 mentosa litem numquam movissem ; sed ut cum  
 ARISTOTELE , amicus PLATO , amicus SO-  
 CRATES , magis amica veritas . Hujus jura  
 vindicare pro tenuibus natus sum viribus . Nec  
 plura , eaque non infimi subsellii , conatibus  
 suffragia desunt , spemque faciunt firme adscri-  
 pta inoculationis commoda . Deest vero Ill. An-  
 tagonistę probatio , qui e contra , mea attente

lecta



lecta epistola inermem magis judicavit inoculationem. Quæ addam tamen nova non habeo, nisi ad nauseam gravissimorum auctorum congererem testimonia. Omnique abjecta spe Ill. HAEN convincendi, de novo polemico opusculo ne somniavi quidem, sed tecum amice colloquendi occasionem lætus arripio.

Missis aliis omnibus minoris momenti, cavillatoribusque relinquendis, objectionibus, circa quatuor anxii nunc sumus, quæ sic ponit Cl. HAEN.

1. *Variolas naturales haud multum periculi habere.*
2. *Inoculatas par premere periculum.*
3. *Tot esse qui bis variolas susinent, ut pauci sit securitas quæ ex inoculatione colligi potest.*
4. *Eum esse numerum hominum variolis nunquam laborantium, ut sit perpetuo metus illum inficere qui iis in æternum caruisset.*

Primum principium multis auctoritatibus adstruere conatur; plures contra adhibueram; & hæc est differentia, ex iis ipsis quos adducit, plerique mihi quoque favent, sed exceptionem ubique fere pro regula ponit vir egregius. Innumeros adducerem alios, perpaucos Ill. HAEN. In epistol. Cl. RONCALLI, auctoritates duas novas adhibui; hic & recentissimas nonnullas, & aliam



& aliam quæ casu, typis in prima epistola, exciderat excitare liceat. *Amstelodami*, verba sunt KERKRINGII, grassabantur variolæ sub initium anni 1669. ut de centum circiter & triginta funeribus quæ singulis efferebantur hebdomadibus, centena essent puerorum hac plaga puerili extintorum. Anonymus auctor tentaminis de natura &c. variolarum, testatur, annis 1671. & 72. multos Comitatus in Anglia pervasisse variolas malorum symptomatum satellitiis stipatas, ex iisque multos fatis concessisse, ex nostro oppidulo & parochia circiter 66.

Dum ipse dilectus adversarius excerpta necrologiorum Londinensium præbet, lugere debuit 2096. homines anno 1683. Londini variolis occisos; 3138. anno 1710. 3538. anno 1752. 2359. anno 1754. & in genere, pro medio numero, singulis annis circiter 2000. Jam ergo, quotannis Londini moriantur triginta millia hominum; quindecimam partem solæ occident variolæ, ex iis ipsis calculis quibus nos refellere tentavit Ill. Auctor. Si vero attente consideres, in populosissima urbe, plures mori alienigenas, qui alibi variolas passi sunt, & plures infantes Londinenses extra urbem variolis necari, mox intelliges calculum huncce adversariis æquo mi-giorem esse. Immo hic ponitur calculus, quasi

N

si om



si omnes homines variolis laborarent , si verò bene multi, ut contendunt adversarii , iis carerent , quantum augetur lethaliſſatis periculum? quod ſagaciter notavit Ill. LA CONDAMINE.

Notatu digna videntur verba Ill. LIEUTAUD qui in numeroſa praxi conſenuit ; & cui male cæteroquin tribui egregium librum *de natura & curatione februm intermittentium & remittentium* , cujus auctorem eſſe Ill. Archiatrum regium tota jam non neſcit Europa . *De tout ce que nous venons d'expoſer il en reſulte que la petite verole eſt une maladie des plus meurtrières : l'inoculation pratiquée ailleurs avec beaucoup de succès , eſt le ſeul moyen qui puiſſe arreter cette mortalité : il faut eſperer qu'on ouvrira enfin les yeux , & que le bien public l'emportera ſur les vœux & l'intéret des particuliers . Non minoris eſt auctoritatis vir præſtantiffimus inter primos medicos noſtri ævi tot nominibus reponendus Ill. TRALLES , qui inoculationem magni quoque facit ; quæ de ea dixit hic referte eo minus pigebit dum & morbi pericula monſtrat , & remedii partes optime ſimul tuetur . Dolendum nondum æque ubique in Germania , ac in Anglia antiquata parentum amicorumque præjudicia deleri potuiſſe , quæ ſeſe*



*invento incomparabili publicis commodis ubique adaptando opponunt. Sed latius in dies sese extendet, atque dilutis solide objectionibus Theologicis, Moralibus & Medicis, pusillanimitatis obstacula tandem etiam superabit, alta quasi voce clamans, vis veritatis & experientiae; atque quot miriades hominum parentibus, fratribus, sororibus, maritis, uxoribus, amicis tum manebunt superstites! Quot luctuosa familiis aliquando splendidissimis, ipsisque solis regalibus, haud evenient funera! Quam innumera manus divinae artificia, non delebuntur & destruentur? Non nescit tamen, quod monet, Vir Cl. miriades infantum, aut natura aut arte variolis feliciter emergere; sed & illum & alios, casta fidelisque docuit observatio faustas alias, alias internecinas esse variolas; & dum hanc varietatem generant variae conditiones physicae sub quibusprehenduntur aegri, artis est ut probe pensitando quanam cavendae quanam desiderandae sub his variolas infundat. Dolent nuperime Genevenses plures sibi variolis ereptos, inter quos alterum Comitem ab HOLSTEIN, Nobilissimumque a PLESSEIN; & mors Principissarum a Nassau mihi memoravit quae habet de gentilibus variolis A. SIDOBRE, homo senescentis famae a Cl. tamen HAEN sed a pau-*



cis aliis laudatus; *Variolæ*, inquit, *in quibusdam familiis exitiales sunt. Vidimus Monspelii familias illustres, quarum infantes diris variolarum symptomatibus dirivexati, brevi abrepti fuerunt; qui totum de prognosi caput leget, gravem esse morbum dubius vix hærebit; & hæcce scribens en accipio opus a prælis adhuc madidum, de morbis puerilibus & cutaneis, cujus auctor fertur Senior Medicus Monspeliensis in quo ad prognosim variolarum lego, aliquando variolæ mites grassantur; sæpe adeo malæ, ut pauci ab his sanentur; & initio capitis: morbi sunt generi humano infensissimi, quandoque ita graviter sævientes, ut ingentem hominum numerum jugulent. Nec inoculationi favere videtur. Quid demum? ubicumque oculos defigamus, lævas esse variolas deprehendemus; & si viginti forsitan demas medicos, omnes alii, tota gens humana, variolas horrent; & quod reticere nefas, dum illarum benignitatem evincere conantur adversarii, successus excitant LOEBERI qui proprios filios plures variolis interemptos luxit, quod ante illius mortem palam promulgavit HAMBERGERUS. Missis ergo hujusce triftis veritatis, novis superfluisque testimoniis, ad secundum me devolvam axioma, tot fere ac naturales necare insitivas variolas.*

Hic



Hic cum nobis militant Cl. Adversarii, si-  
quidem insitivarum periculum æquant periculo  
ex benignissimis, quales sibi effingunt, natura-  
libus; sed & pessimæ, contra illos, dantur, er-  
go adhibenda methodus quæ benignissimarum  
commoda habet. Et in hac lite apte conve-  
niunt verba magni HARVEI, qui, dum tot  
gerris impugnabantur inconcussæ de circulatio-  
ne observationes, *quod in quæstione, aiebat, est  
sensibile & visibile, an sit necne videre, vel  
expertis credere teneri, quicumque scire deside-  
rat oportet; neque ulla alia certitudine clariori  
erudiri aut doceri poterit.* Nec reticere possum  
quæ dum hæc prælis jam infudant lego in do-  
ctissima & humanissima epistola Ill. HAEN. *Il  
y a deux moyens d'éviter la mortalité dans cet-  
te maladie. Le premier est l'inoculation, l'au-  
tre est une bonne méthode de traiter la maladie.*  
Jam sane vix dissentimur. Epistolam comitatur  
pro ea benevolentia qua est erga me Clariss.  
Auctor novum & eximium opusculum in quo  
pag. 102. invenio. *Ipsa anno elapso 1759. medi-  
cos præsens audi vi detestantes variolarum eo an-  
no summam perniciem, habetque Necrologium Vien-  
nense 500. circiter iisdem anno elapso mortuos.*

Objicit vir egregius post mortuos inoculatos  
edictas leges, quæ tales inoculare vetabant, inde-



que methodo falsis jocis irridet. Sed ane fat æquus? phtysicum inoculant imprudentes aut fanatici, fanaticos enim suos quoque habuit, non difsiteor, inoculatio; ane risui locus, si doctiores mortem phtysi tribuant, phtysicosque in posterum inoculare vetent? Nonne probabile est dum tot manibus versatur methodus, plures fore qui inepte illam adhibeant? ane inde taxanda? Anne prohibenda electricitas medica quia incaute administrata hic inutilis, illic noxia evasit? Eadem fuit fors olim Kinæ quæ hodie inoculationis, & dum miriades hominum sanabat, uni alterive, incaute propinata, nocuit, nec pro suis vindictis hujus patronos pudebat imprudentiam revelare: cur eodem jure destituerentur inoculationis patroni, & quidni hic excitarem quem in simili casu, ex S. HIERONYMO locum excitavit optimus BADI? *Solent oculis clausis denegare, qui non credunt factum esse quod nolunt.*

Tertiæ & quartæ objectioni denuo immorari & tædiosum & inutile foret, dum & fuse alibi confutatæ sunt, & illarum futilitatem testantur *in montibus pastores, in theatris Poetæ, in circulis indocti, docti in bibliothecis & magistri in scholis.*

Monet Ill. HAEN intactam relictam quæstionem moralem, illustrissimoque demandatam CHAIS, quia & Ill. LA CONDAMINE & mihi difficilior

vila.



vifa. Verum est, venerando illi Pastori quam sibi sponte assumperat Provinciam dimissi, non intactam tamen, dum argumentum habeo, unicum quidem, sed quod validum, firmum crediderunt multi, & quod tale habuisse ipsum adversarium spes est, siquidem de illo ne verbum quidem facit.

Demum quæ urget de impossibili inoculatione, ex præceptis inoculatorum, & historia epidemiarum, tempus inoculationi oportunum nunquam reperendum fore demonstrans, neminem movisse cum videam, iis nunc superledebo; perpendam vero, perpendi enim debent quæ publici juris facere non dedignatur tantus vir, in altera *inoculationis justificatæ* editione, jam dudum promissa; sed quam in pluteis aliquandiu adhuc recondi lubet, adagio fretus, fat cito si fat bene.

Nec de Haeniano silere lubet opusculo, quia tibi patefaciam spem quam mihi fecit inoculationi favere Ill. VAN SWIETEN, quod ni fallor testabitur quartus commentariorum tomus; illius enim improbationem non reticuisset Ill. amicus si utrique eadem sententia; & lugendum sane foret, immortale opus, apud seros nepotes censuram traducere praxeos, quam, quo vivent tempore universam, controversam quondam fuisse stupebunt.

Nihil itaque me movent inanes acerbæque de-



clamationes, sigillum erroris omni ævo habitæ; & cachinnos ciet non iram, qui Geographiam, latinam linguam, & litterariam historiam pariter doctus vocat Ill. HAEN *Professeur a Vindobone en Allemagne*, dum inoculationem dicit *une pratique plus meurtriere que les guerres les plus sanglantes*. *Risum teneatis amici?* sed risum compescit & infelix lachrimas ciet auctor Cl. CANTWEL, dum enim & benignas naturales & malignas inoculatas demonstrare conatur, orationem refellit eventus, & unica sua nataquam naturales necant paternum demonstrat errorem. At infandum tædet renovare dolorem.

Hæc est mea fiducia; Mercurius, Tartarum emeticum, opium, Kina, Ypecacuana aliaque nescio quot diu vituperata, damnata, calumniata vicerunt demum; quæ utilior longe, adversas easdem patitur fortunas inoculatio, faustas quondam easdem experietur; faustas experietur tua irritabilitas cui tot insurrexerunt partim tamen victi, sed ne victoriam fateri cogantur intentati nihil relinquentes. Alii enim dum jam jam negari nequit, antiquis haud ignotam contendunt; quod & de circulatione dicere haud puduerat. Concedatur si lubet, *novantiqua* sit irritabilitas, sed cur ergo in antiquorum operibus, illis omnibus ignorata? Ridenda sane sub-



refugia superbæ, quæ, contemporaneis iniqua  
defunctis tribuit quicquid sibi arrogare nequit.

Classis est alia illorum, qui futilitatem inven-  
ti saltem premunt, & lepidam inutilitatem il-  
lud clamant. Ridebis sane dum eosdem videbis  
ad cœlos extollentes minima inventa physica,  
anatomica, botanica, immo officulum quale ca-  
daver quodcumque bene multa cuique anatomi-  
co offert; vel fuse narrantes controversias inter  
duos auctores quorum quisque sibi vindicat ter-  
tii inventum; tale ridebunt iudicium poster-  
i qui physiologiam, pathologiam, therapeiam, hac  
inutilitate, inconcusso tanquam fundamento ni-  
xas salutabunt.

Nullæ sunt meæ partes in irritabilitate, nulla  
pro præceptore præjudicata opinio; Præceptor  
numquam fuit Ill. HALLERUS, ut ut sic credant  
editores diarii eruditorum, cui tamen multa  
tum in theoria tum in praxi, pari in utraque  
magistro me debere lubens & gratus fateor; sed  
ignoto temet, ignoto illo, fero nimis noto  
utroque, ex vestris operibus probe intellexeram  
hanc esse irritabilitatem, quæ in medicinam  
haud minus radiet quam circulatio; par nobile  
inventorum, quorum deficiente altero claudicat  
aliud.

Brevissime ante quinquennium festinante ca-  
lamo



lamo nonnullas irritabilitatis utilitates in praxi indicaveram; innumeræ sunt quas hodie accuratius perpensa re indicare facile esset; lætusque video, quanti sit optime nosse præstantissimos viros GAUBIUM & TRALLES.

Tertia gens est quam mireris; eos volo qui irritabilitatem concedere coacti, illam, sibi saltem, novam & tuam diversam, ex hypothesi effingunt, experimentis omnino destituti. Irritabilitatem omnibus solidis humani corporis largiuntur, dum omnes hac carere, sola excepta carne, res sit ad mathematicam demonstrata certitudinem. Dum vero dominia extendunt, de virtute detrahunt; illique vim cor movendi dementes universam quidem sed haud magni momenti proprietatem creant. Vix credere datur; Schola Halleriana & qui ubique Europæ experimenta eadem denuo instituti eadem observarunt; solam fibram muscularem irritabilem viderunt & ex hac proprietate motus oriri vitales invicte demonstrant; alii temptis experimentis, nullibique irritabilitatem experti, ubique corporis illam locant, & simul ineptam ciendis vitalibus motibus statuunt. Euh! ea est mentis humanæ turpitude! proprium quisque sibi mavult fingere errorem quam alienigenam amplecti veritatem.

Nec



Nec alios credas circa irritabilitatem deesse errores . Sunt enim qui irritabilitatis & sensibilitatis criteria haud accurate distinguentes, nervis utramque tribuunt . Verum est , nervis resectis musculus haud diu irritabilitatem servabit , an inde tribuenda nervis qui ea prorsus carent ? minime . Quid ergo ? Irritabilitas est proprietas musculi integri sani , & ex quacumque causa labascat hæc integritas , labascet irritabilitas ; integritati autem musculi necessarij sunt nervi . Musculi est integri tepere ; si frigeat perit irritabilitas ; ane tepori tribuetur ? Eodem jure ac nervis . Et nervi & tepor sunt conditiones *sine quibus non* . Horologii motus gravitati debetur penduli ; sed si rota aliqua vel minima aut curva aut inclinata sit , perit machinæ motus , qui ex hac rota tamen minime dependebat . Integra similitudo . Quis vero capit similitudinem qua sua premitur dilecta hypothesis ? Tot cespitationes perpendens haud semel memini lepidos GUARINI versiculos paululum deflexo sensu huc optime facientes .

*A che del saper nostro*

*Insurpate , o miseri mortali ?*

*Questa parte di noi che intende , e vede ,*

*Non è nostra virtù ma vien dal cielo .*

*Esso la dà come a lui piace , e toglie .*

Uti



Utinam hic terminus errorum , sed nec talis nostra felicitas , plures enim invenies qui animæ irritabilitatem tribuunt ; si bene vero universam irritabilitatis historiam callerent , errorem mox abjurarent , vegetantium enim est forsitan magis adhuc quam animalium irritabilitas , cum apud plantas agere sola videatur , quæ in animalibus conjunctæ irritabilitas & sensibilitas . Nihil ergo animæ & irritabilitati commune ; sed non deicienda erat anima de jure quod illi concesserunt , motuum in corpore fontem esse . Hic tamen inter se dissentiunt , & quomodo non dissentirent deficiente experientia ?

At brevis erunt ævi jura animæ ; illa acriter nuperrime diruit Cl. BATTIES ; nulla esse , mox ut spes est , ostendam ; simulque palam probabo nihil Religionis interesse num ex anima num ex principio corporeo vitales motus habeant animalia ; immo sane , si imparem esse materiem perennando motui quondam ostenderetur , mox huc cogeremur , ut & omni viventi ipsique vel seignioribus plantis , animam concederemus , dum & plantæ innumeræ dentur in quibus summa motuum vitalium major sit quam in animalibus bene multis . Nec externa tamen habet auxilia plantarum vita quibus animalia careant , eadem ergo utrique generi



motuum origo, nec irritabilitate potentior alia.

Momentosa res est illa inter animalia & plantas analogia, quam nec per transennam ab antiquis observatam temperunt nimis scientes volentes nonnulli recentiores; illam fule perpendere locus erit in libro de natura, hic vero breviter de illa te alloqui liceat, ut tua doctior reponione cominus magis ad veritatem accedere possim. Libellum, nec sine ingenio, edidit famosus quondam LA METTRIE, in quo affinitates nonnullas sed præsertim anatomicas delineavit; at dum ex illa comparatione veram causam motuum utrique classi communium eruere satagam, quid in utramque possint causæ motus in terra universales aer præsertim & sol, mihi præ cæteris perpendendum erit, & facillime ni fallor demonstrabo eandem esse utriusque efficaciam in animalia & plantas.

Nemo nescit eadem celeritate necari plantas defectu aeris ac animalia. Nescit nemo aeris corruptionem hortulano & lactucæ pariter lethalem esse. Nec minor vis solis quam aeris, suas strices habet vegetabilis gens, & quo tempore ad somnum se componunt aves & alia animalia quæ noctu vigilare non cogit necessitas aut abusus, quo tempore, ceciduis ægri viribus, exacerbationem excludunt vires prævalen-



valentes morbi, quo tempore ex debilitate majori ægrefcunt infantuli de die fat bene valentes, eo tempore sui generis quiete frui plantas detexit Cl. LINNEUS, & hanc quietem ex absentia solis oriri probavit Cl. HILL. Dum autumno cessat sensim in plantis circulatio, cessat in innumeris animalium speciebus. Vita mox ex utrisque abesse videtur. Pari passu dum vere tellus tepescit in utrisque restituitur. Norunt seduli objectores plantas esse e quarum aspectu, media die, tuto judicares num lucet, num obnubilatur sol; norunt viatores quanti sit illorum aut nube, aut arboribus, aut aliis obstaculis arceri solares radios; dum lucet enim vivida insecta illos cruciant, languent cutique parcunt dum deficit. Et hic influxus solis longe major videtur in insecta quam in plantas, quod nostro favet systemati; sed fateor, hoc premere dedignarer argumentum, hanc enim differentiam ex differentia elementorum in quibus sedent plantæ & animalia oriri merito regereretur. Densa enim terra dum diu suum teporem servat, illum pari fere gradu absente tepere faciente causa aliquandiu plantis impertit, aer longe minus densus impressum calorem cito dimittit.

Ex desidia in animalibus languor, languent ex motus defectu plantæ, & plura jam solvit

phœa



phœnomena hæc observatio. Suo alimento gaudet quæque animalium species, quo deficiente perit; eundem esse selectum plantarum nullus hodie negat physicus. Sole, aere, terra, aqua nativis gaudet hoc animal alibi numquam suscipiendum; sua est & plantis patria, extra cujus limites vigere, vivere nesciunt; sua vegetantibus nostalgia, ( falsis si lubet jocis Helvetii irrideant adversarii. ) Sui plantis morbi & affines morbis animalium, sua haud dissimilis medicina. Quid demum? ut innumeras alias similitudines taceam, utrique regno eadem causæ incrementi, salutis, vitæ, labis, morbi, mortis, eadem ergo aut saltem ejusdem generis motuum vitalium causæ.

Regerent forsan, majores esse motus in animalibus quam in plantis; responsum in promptu. Demonstraretur facili labore plures esse plantas in quibus summa motuum quæ intelligitur ex massa mota, celeritate motus, itinere, vi resistantiarum, major est quam in animali ejusdem massæ. Nihil præterea obstat, & lubenter concedo, quin causa motus plantis interna & cum externis concurrens, vis illa qua caret minerale & planta mortua, vis illa fortior in hac, debilior in illa planta, fortior sit in animalibus; hoc unice contendo ejusdem esse generis corpoream nimirum; & id invicem quon-  
dam



dam probatum dare spes est. Hæc inconcussa basis omnis certitudinis in œconomia animali. Hæc vera natura: Verum est, moralibus causis turbari potest; at quid inde?

Pendulum est horologii irritabilitas illa, sed & multa sunt quæ effectus vis penduli minuire, augere, turbare possunt, & inter hæc anima. Vagi enim semper, breves, irregulares, turbulenti quos ciet motus: vitales e contra, perennes sunt & uniformes; alia his ergo scaturigo; & fauste quidem, perpetim enim deliraret circulatio si ex anima motum haberet cor; vel potius brevi deliraret, brevis enim esset ævi machina in qua adeo turbulenti essent motus. Nonne quotidiana evincitur observatione eo breviorum vitæ terminum quo frequentius circulationi manus admovit anima? vix sane crediderim eo adduci vel fervidiores hujusce animæ patronos, ut illi sui cordis crederent habenas, si res penes homines esset.

Dum de illis mentio injicitur, quos inter plures numerantur & doctrina & dotibus ingenii celeberrimi, mihi que venerandi; non possum, quin tibi patefaciam quoties attonitus fuerim dum video illos qui spiritali enti maximam in corpus potestatem tribuunt, eosdem esse, qui Mathesi in exponendis *pneumatocorpo-*



*res* illius machinæ phænomenis magis fidant ,  
 Matheſeos nec hoſtis , nec , quondam ſaltem ,  
 prorsus rudis , ſummorum virorum CALEN-  
 DRINI & CRAMER , quorum manes ad ſæ-  
 cula colendi , diſcipulus , pauci eſſe illius uſum ,  
 non medico quidem , ſed medicinæ , a quo tem-  
 pore quid eſſet medicina capere incepi , ſem-  
 per credidi ; nec aliter credere ſuaſerunt tot ab  
 illo tempore lecta medico-mathematica opera .

Concedo , datis elementis , optime ſane cor-  
 poris motus , ut planetarum , eademque certi-  
 tudine , expones , ſed hæc invenire elementa  
 hic labor hoc opus eſt . Elaçſcitas , irritabilitas ;  
 calor & frigus unde dilatatio & condenſatio ,  
 acrimonix variæ , ſenſibilitas ſuas & magnas &  
 in quoque inæquales ſubjeçto partes habent in  
 corporis humani mechanica , omnique calculo  
 ſeſe prorsus ſubducunt ; ſuaſhabet attractio inter  
 proxima , nullis adhuc certis adſtriçta calculis .  
 Quænam ergo aſumes calculandæ functioni cetera  
 elementa , dum omnem uſquedum arithmeti-  
 cam reſpuunt hujusce functionis vel notiſſimæ  
 cauſæ ? Quamnam habebunt utilitatem calculi  
 hypotheticis nixi elementis ? Sic argumentantur ;  
 ſuperant motus vitales mechanicas cauſas , &  
 effectus cauſa major eſſe nequit , ergo ortum  
 habent ab incorporea cauſa . Sed hic ſubest ſo-  
 phiſma



phisma illud quod *enumerationem imperfectam* dicunt Dialectici ; dum enumerando causas , nonnullas tantum adducunt , omiſſis aliis . Verum eſt , motus vitales ſuperant vim mechanicam virium corporum non vivorum plerorumque , ſed ubinam audierunt nullam vim aliam ineſſe viventibus ? ubinam vim hanc jam inviſte demonſtratam iſdem ſubjici legibus ac mortua corpora ? Effeſtus major eſſe nequit cauſa , concedo ; ſed hic denuo enumeratio imperfecta , dum vim tantum quæ agit conſiderare amant , omiſſa illa quæ reagit , & quæ corpori alicui indita quaſique incarcerata leni tantum eget auxilio , quo fractis vinculis enormi agit impetu .

Nec ſimilia omnino deſunt exempla tum in natura tum in arte . Fornicem conſtruere novit peritus artifex talem ut quamdiu in loco remanebit clavis nulli cedere poſſit impetui ; hac arte clavis conſtrui poteſt ut ex vi minima loco moveri poſſit ; ſed en hac mota diruit fornix vi immenſa ; anne vis illa ex vi minima quæ clavem removet ? Minime , ſed ex vi fornici indita .

Dum chalybs ſilici fricatur vi quæ ſelibram non moveret , en elicitur ignis , tota urbs cinis & fumus evadit ; & quis numerus exprimet quantum effeſtus ſuperavit impreſſam cauſam ? Sed inerat corporibus combuſtis cauſa alia ante

effe-



effectum ignota & longe primam vim superans. Jam ignis vis omnibus sit ignota, & plures similes vires forsan adhuc latent, si sagax artifex machinam aliquam sic construxisset ut ex scintilla admota magnus nasceretur motus, Mathematici medici nostri sic argumentarentur magno cum apparatu mathematico & forsan metaphysico. *Effectus major esse nequit causa, sed motus quem habet machina major est motu quo excussa scintilla, ergo non oritur ex illa scintilla, sed ex spiritu aliquo motus creare potente.* Par omnino res cum irritabilitate, seu vi alia qualicumque motuum vitalium. Superbum est nimis quidquid novum est rejicere: dies diem edocet, & posteræ ætates detegent quæ nescimus; cur culparet nostra id omne quod nesciebant priores? Dantur forsan innumeræ aliæ vires variis corporum speciebus inditæ, inauditis huc usque motus legibus subiectæ, & quæ novas in posterum ciebunt rixas quamdiu auram trahent homines quos ab alijs aliquid edoceri pudebit.

Missis ergo iis omnibus quibus frustra nimis teritur tempus calculis, unica superest, ditandæ medicinæ, observatio; difficilis fateor via paucisque calcanda, dum facilis omnibus panditur hypothesis. Ex motu & sensu oriuntur functiones omnes corporis; musculi ex irritabilitate motum habent quem reliquis impertiu-

tur



tur partibus; sentit nervis anima, & nervorum ope motus ciet sui generis; ex variis hisce motibus varia humorum indoles, varium secretionum negotium. Si ad hæc tria observatorem intendas animum, simul perpendendo quid possint externa tum ambientia, tum alimenta, tum remedia, horrea medica copiosa mox replebis segete, trita nunquam obtinenda via. Sed jam jam effreni calamo habenas stringere tempus: dum pauca de morbo infrequenti te colloqui mens erat, aliena plura miscui, tibi utinam non ingrata. Vale ZIMMERMANNNE summe mi, nec diu bonos carere finas optimis, quæ jamadudum meditaris, partim perfecisti, operibus, *de temperamentis*, in quo tam belle exponetur vis irritabilitatis, de *solitudine*, & de *experientia medica*; lætoque accipe vultu paginulas qualescunque, quas quanti facies tanti mihi erunt; iterum vale & sive in patria tua sedeas

*Contemnere honores*

*Fortis, & in teipso totus teres, atque rotundus,*

sive ad grandiora natus, quod sollicitant Magnifici Rectores Universitatis, *Georgiam Augustam* Professor adeas veram praxim ibi docturus, tui amantissimum amare ne dediscas. Dabam  
Lausannæ Helvetiorum 6. Maji anno 1760.

F I N I S.











